



JOANNES
SAMBUCUS
•••
EMBLEMATA



EMBLEMATA,
 CVM ALIQVOT
 NVMMIS ANTIQVI
 OPERIS, IOANNIS
 SAMBUCI TIRNAVIVSIS
 PANNONII.

35

ANTVERPIAE,
 EX OFFICINA CHRISTOPHORI
 PLANTINI.
 M. D. LXIV.
 CVM PRIVILEGIO.



MTA
 KIK



SVMMA PRIVILEGII.

REGIS priuilegio cautum est, ne quis citra voluntatem Christophori Plantini imprimat, aut alicubi impressos importet, venales'ue habeat libros, quorum titulus est:

Emblemata, cum aliquot nummis antiqui operis, Ioan. Sambuci Tirmauiensis Pannonij.

Ars poetica Horatij, & in eam paraphrasis, & Commentariolum Ioannis Sambuci Tirmauiensis Pannonij:

Tomus primus Commentariorum in Claudij Galeni opera, medicorum principis, complectens interpretationem artis medicæ, & librorum sex de locis affectis:

à die impressionis absolutæ intra sexennium. Qui secus faxit, tum confiscationis librorum ipsorum, tum verò quinquaginta florenorum pœna, fisco Regio exoluenda, multabitur: vt latius in Regio diplomate expressum est. Dato Bruxellæ V. Calend. Februarij. Anno M. .D. LXIII. Signato

Fabri.

MAGYAR
TUDOMÁNYOS AKADÉMIA
KÖNYVTÁRA

DE EMBLEMATE.



Q UOD EMBLEMATVM,
 quæ ferè *καὶ πάρεργον* operibus,
 pro materiæ locique ratione, or-
 namenti atque varietatis causa
 inferuntur, genera sint tria, no-
 tum est. Quorum exemplo quæ præsertim
 ad morum doctrinam pertinent, figuris qui-
 busdam, poëtarum vt modo delectent, ma-
 gisquæ accendant, obduci vera, inuoluique
 solent, vt *ὡς ἐν τύπῳ* notæ, ac signa *ὀρεισιμὰ*
 sint, *καὶ κατανουσιμὰ*. Nam τὸ ἐμβάλλεσθαι iniice-
 re, ac proponere aliquid obscurius, quod ex-
 plicationem, atque cogitationem requirat,
 etiam Græcis significat, sed sine dubitatione,
 aut interrogatione melius fiunt, ac problema-
 tis obscuriora, & dilemmatis, ænigmatis aper-
 tiora videntur.

SYMBOLO autem seu *παράσημα*, ipsæ
 rerum picturæ, ac imagines dici, quasi tes-
 seræ, verius possunt: cognata hæc tamen, &
 vix, vt *ἐκὼν*, *καὶ μετὰφορὰ*, dissident. Ac etsi
 hæc vt problemata vniuersa constitui possunt:
 trium tamen præcipuè sunt generum, quo-
 modò & ipsorum expositio, & intelligentia.
 Nam & de moribus, & natura, & historica,
 fabulosaquæ, *διὰ χαρακτηρισμῶν*, *καὶ συνθημά-
 των* commodè finguntur: sed imprimis vitam,

vt historiæ, volo erudiant, vt quemadmodum illæ sunt Philosophia *ἔιδωλοποιός*, ita hæc in oculos notis quibusdã incurrant, animumque auditoris agunto, quod non secus, quàm Poësis τὸ σύνολον τὰ λήμματ' αὐτῆς μίμησις ἐστίν. Itaque tecta, arguta, iocunda, & variè significantia sint, mutuoque illa tria genera vim, figurasque impertiantur. Ipsa rerum simulachra si vulgaria sunt, abditum innuant sensum, obscuriora, non tamen *κακόζηλα*, aut *κακόπλασα*, aut *ἀπίθανα* (cuiusmodi vel in Virgilio & Homero diligentia conquiras, & Aristophane, qui nubes inducit loquentes) doceant apertius, dum analogia sint. Interpretatio verò, vt fabularum, triplex adhiberi potest, eadem quippe sedes, atque loci vtriusque sunt. Siquidem & *μυθικῶς*, & *ῥητορικῶς*, & *φυσιολογικῶς*, quò & *ἀλληγορήματ' αὐτῆς* pertinent, expositionem admittunt: etsi non omnia tam latè pateant, quoque sunt angustiora, hòc magis delectant, iudicioque & sapientia nituntur, vt epitheses poëtarum propriæ, & aptæ, velut *σφραγίδες*, & *συγκελλύμματ' αὐτῆς*, vt Phalereus appellat.

NON satis ergo vident, quid Emblemata sit, qui quasuis sententias, historias, fabulas vulgò tritas, umbris figurarum, res eodem exprimentibus modo, aut quodlibet heroum dictum lemmate informatum, emblemata existimant.

stimant . Quis enim hoc pacto non poëtarum γλώσσαις , fabulas , exempla historiarum omnia , prouerbia , apophthegmata non suffigurarit ? Vt si semiputatam vitem , pro negligenti patrefamilias , muscam contra elephantem pro temeritate , laterem lotum , pro inani labore , Curtij votum , Horatij factum pro fortitudine , & quæ huius generis de Valerio , & aliis circumferuntur , adducam , nisi aliquo adiuncto dissimulentur , & ἐπιφωνιαῖα sint , quis miretur , aut laudem tribuat ? Quare selecta , & ὀγκώδη erunt , nec minùs , quàm cæcæ , & singulares Ægyptiorum , & Pythagoreorum illæ notæ mentem exerceant : sed nec multitudine figurarum , pictorisque magis artificio , quàm potestate has res metimur . Quamobrem in omnibus sit aliquantum versatus , qui aptè ὡσαυδοξότερα comminisci velit , atque in rerum natura quorumuis formam , causas , proprietates , ac ipsam denique εἰδωλοποιτικὴν teneat , si legi , atque posteritatem consequi iustam studet , necesse est : nec sit stomachus , qui non quiddam , quod sapiat , inueniat .

CÆTERVM QUID hoc in genere argumenti adhuc quidam præstiterint , non meum est pronunciare , nec parum præstiterint oportet , quòd quidam totos quadraginta annos sua cudant , coquant , denique

extrudant : nec diligentiam vitupero , *πὸν β*
ἄδ' ἄωρισ' οὐδ' ἐν' εὐτυχίῃ, ac scio Platonem octua-
 gesimo ætatis anno suos dialogos non depo-
 suisse : sed ista dico , vt *τούτων ἡμετέρον ὠκυ-*
τόκων dies ferè totidem cum illorum annis
 conferam , meisque incultis , & ineptis ve-
 niam impetrem benignam . Agnosco enim
 quædam esse vulgaria , sed aliter tamen ex-
 posita , nec omnino diffido ex hoc numero
 aliquot fore insignia , & luce , memoriaque
 digna , si amicorum me iudicium non fallit.
 Audiam igitur priùs quid alij de hoc meo
 subito consilio , præpropereque fœtu senti-
 ant : quòd si mihi bilem mouerint , vel ani-
 mum his collaudatis addiderint , meliora his,
 & grauiora quæ in manibus habeo , absoluiam.
 Constitui enim , quæ imitatione inter Home-
 rum & Virgilium conueniunt *ὑποτετυπέδμα*,
 multa Athenæi, plura Philostrati, & Pausaniæ,
 vnà cum posticis vetustorū nummorum parti-
 bus , lapillis variè insignibus , interpretatione
 non ingrata, cum bonis, & harum rerū studio-
 sis breui communicare . Intereà hæc lector fi-
 dei, pignorisque nomine habeto, ac vt citiùs
 reliqua prodeant , cum venia laudato. Quòd
 verò aliqua clarissimorū virorum nomina ad-
 diderim , non ambitiosè factum putes : nec
 enim hos noui solùm, qui omnem adhuc æta-
 tem apud exteros traduxi : sed vt pro meritis,
 memo-

memoriaque, & opinione de me publicè,
scriptisque eorum testata, gratiam hac saltem
occasione aliquam haberem, id verò spectavi,
ac deinceps epistolis varijs, mutisque & in
obseruationibus meis, vel erga mortuos quàm
plurimos *ὄν θεός* cumulatiùs idem præstabo.
Vale, Gandavi Kalen. Januarijs, anno salutis
omnium M. D. LXIV.

A 4 OS





*Os, oculos pictor Sambuci reddidit, aptum
Ingenij munus fingere solus amat.*

MAXIMILIANO II.

IMPERATORI AVGVSTO, GERMANIÆ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæque Regi optimo, Archiduci Austriæ, Duci Burgundiæ, Comiti Tyrolis, &c. Domino suo clementissimo.



*QVIS tibi tam iuueni diuinos fundit honores,
Ausisque immensis compleuit pectora, Regum
Maxime? non leuiter tribuit mortalibus ista
Munera, qui cælum, ac terras Deus ordine torquet.
Nam volucris latè totum fama intulit Orbem,
Te triplici insignem diademate, dotibus auctum.*

Te sibi Roma parens legum, imperijque Latini
 Conscia nunc Dominum legit, nomenque decusque
 Addidit Augusti, & titulos, renouatque triumphos,
 Cesareas laudes cumulat presaga futuri.
 Te quoque Pannoniæ fines tot cladibus usque
 Afflicta, Regem poscunt, donant'ue corona:
 Vt Gethicis tandem releuetur cædibus, atque
 Nutu respirare tuo queat, hostibus obsit,
 Quæ toties luxit crudeli funere, passim
 Tot riuus auxit longinquum sanguinis Istrum.
 Cincta iugis Regem arboreis quoque Boëmia dudum
 Obtinet, in decus, ac vires reditura priores:
 Hæc pariter pro te certant, tua iura verentur
 Regna, ducem in casus sperant tot fortibus omnes
 Viribus intrepidè ruiturum, pristina cunctis
 Vt reuoces populis subito decora, aurea secla:
 Sub te vt pax coëat terrarum, iudice solo, &
 Vindice te vigeant, totus letetur & Orbis.
 Tu regere imperium pote sis, discordia cesset
 Relligionis amore tui: te autore secundum
 Quisque Deum numen veneretur, adoret idemque.
 Hæc optant sani, prædicit conscia fati
 Turba, simul gaudet fama immortaliter auctum.
 Indole iam prima docuit moderamen Iberi,
 Et necis auerse exemplum venaticus error
 Quam capiti sacro intentabat, quid valiturum
 Ingenium, ac vires essent: fore te caput Orbis,
 Delicias hominum, quem cuncti semper amarent,
 Et puro canerent certatim pectore vates.

Ergo Deus summo tibi munere donat Olympo,

Ille

Ille regit, fouet, imperioque ornauit amœno.
 Nam Iouis est ales triplex diadema ministrans,
 Quæ inter præcipuū est Romanum, quod Dea vestit
 Custos, nam Lupa nutriuit miserata gemellos
 Vberibus fratres, & Romæ præbuit orsus.
 Hæc oleæ ramum dextra, pacemque reuinctam
 Defert, ac vigili cura iubet omnia serues.

Sunt fluuij Hungariæ septem tua sceptrâ verentes,
 Qui sibi prouideas orant, cursuque perenni
 Ritè monent curarum molem incumbere Regis
 Nunc humeris, te sollicitum debere caducis
 Partibus obicere ex animo, saluamque tueri.
 Hæc vult, ac petit arma gerens, nec lata puella.
 Parte alia est domitrix Virtus, leo duxque ferarum
 Candidus, hunc Boëmi submitunt Maxmilianæ,
 Imperio, fortem ingeminant, dominumque salutant.
 Sed breuibus repetam spes quæ patriâ tenet agram.

Deposita ac toties miserè concussa resurget
 Pannonia, exitiique modum te Rege futurum
 Sperat, constitues Bizantiæ firma trophæa.
 Desinet impietas, te Casare purus iniquè
 Posthabitusque Deum cultus, probitasque redibit.
 Diffugient nimbi, sublatis nubibus aër
 In medio cunctis splendescet, te feret vnum
 In terris Regem populus, compage soluta
 Corporis, ad Superum sedes, stellæque reuises,
 Ornabisque aliquod sidus, propriumque dicabis.
 Iam tu magnorum decus, & Rex maxime Regum,
 Paucula quæ mitto placida simul accipe fronte,
 Quoque fauore soles minimum cumulado clientem


Sambu-

*Sambucum: meritò tanti qui incensus amore
 Principis, hæc offert domino non digna potenti.
 Sed mitem noui, facilem expertusque subinde,
 Oro, clementi aspicias munuscula vultu,
 Quæ lusi nuper, postponens serua nugis:
 Gandavi in clara generosis ciuibus vrbe,
 Hospitio celebri, secessu & semper amico.
 Suscipe dum maiora paro, tua facta tubaque,
 Et pleno memorem virtutes gutture summas.
 Vndique nam curo, laudi quod seruiat olim,
 Non ullis ego, quod possum nec sumptibus, Heros,
 Nec grauibus parco, nec cedo laboribus vsquam
 Aut terra, aut pelago, mihi bibliotheca paratur
 Dum exigua, & veteres numos, & marmora cogo,
 Vt valeam ingenti prodesse clientulus, atque
 Illustrem patriæ res gestas, commemor æui.
 Quidquid erit studium quod colligit, optime Princeps,
 Subiiciam rediens ego tantæ numinis auræ.
 Quæ, precor, aspiret ceptis, & littore sistat.
 Viue, vale Hesperij, Eoi & mirentur, amentque.*

T. M. Clientulus minimus
 Sambucus.

Memor

Memor vtriusque fortunæ.



QVE IS peperit dignas olim victoria laudes,
 Solenni pompa hos excipiebat amor.
 Roma suos voluit capitolia celsa subire,
 Atque triumphantes concelebrare Duces.
 Currus at appensam nolam tulit, atque flagellum,
 Possit hic aduersæ sortis vt esse memor.
 Bulla etiam collo βαλῆς, rerumque salubre,
 Quæque cauere decet, symbolon vtile erat.
 Tres quoque Alexander nolas, seuumque Leonem
 Gestabat, ne esset strenuus absque metu.
 Quàm facilè in luctus mutat fortuna triumphos,
 Et victor serui conditione venit?
 Fortunæ esto memor semper fortuna in vtraque,
 Non facilè est æqua commoda mente pati.

Conscientia integra, laurus.



PRONA virens cælum specto, nec fulmina terrent,
 Ob scelus excelsa quæ iacit arce pater.
 Quin etiam foliis crepito, Daphnemque perusta
 Nomino, quam domini sollicitavit amor.
 Conscia sic munit virtus, & labe remota
 Conditio Superis grata, virensque diu est.
 Haud voces hominum metuit, non ignea tela,
 Qui niueo mentem cinxit amore suam:
 Non hanc Eumenidum furor, aut agitabit iniquè
 Tristi, & infanti non adeunda domus.
 Candidus hoc etiam senio confectus inertis
 Nos monet, ut presso gutture cantat olor.

Purus

*Purus congregatur sociæ, mox perluit vnda,
Et cano mores ritè colore refert.*

*Pœnitet illicitæ quem vitæ, & conscius error
Non premit, æternis concinit ille modis.*

Vera




Vera amicitia.



ET cælo & terra manibus cor vtrique tenetur,
 Externa nunquam quæ dirimuntur ope.
 Est in amicitia suavis concordia rerum:
 Nec potis est fictos, aut violenta pati.
 Nam virtute coit, simulat nec enormia lucra,
 Hæc vbi deficiunt, debita nulla fides.
 Nullus amor durat, nulli comitantur honores,
 Et quamuis causse dissoluere leues.
 Sed nec in humanis consensus firmat amicos,
 Sint opus æterna religione pares.
 Quis sua committat Thurcis, quo fœdere tutus,
 Qui diuersa colit Numina, fingit idem?

Quæ

Quæ profunt non temeranda.




V T I L E quod vite est semper honores,
 Et meritas laudes ritè meretur.
 Nec leuiter cuius proiciendum.
 Quæ sacra sunt porcis non ea curæ.
 Nec precium norunt quid valituræ.
 Sunt segetes, tantùm bestie opimam
 Saginam cumulant, ventris onusque.
 Ergo sues rectè sacrificabat
 Frugiferæ quondam grata vetustas,
 Semper & à bobus continuit se
 Agricolis, quorum maximus vsus.

B

Nil

Nil omni parte securum.



*Aligeros Ibis colubros auertit ab oris,
 Tetrrior ex ouo sed basiliscus adest.
 Hanc adeò Aegyptus coluit, sibi presidiumque
 Delegit contra lethifera Aethyopum.
 Nil est perpetuum, nil omni parte beatum:
 Et venit vtilitas concomitata malo.
 Si prohibet longè quæ tristia fata minantur,
 Adijcit è proprio non leuiora sinu.
 Vera salus celo: hic nullius & integer vsus.
 Istic non cessat ver, viget omne decus.*

In copia minor error.



CALLIDA verrit humum longa vulpecula cauda,
 Irrisit nimium simia ἀπρεγς onus.
 Subiicit at vulpes prolixè turpia malle
 Abdere, quàm nudas semper habere nates.
 Causa fuit melior vulpis : superesse quod ornat,
 Et prodest, satius quàm caruisse nimis.
 Prodigus in vitio minùs est, quàm prorsus auarus,
 Virtutis potiùs congruit ille modo.

B 2

Malum

Malum interdum simili arcendum.



QVÆ mutatio, quæ vicissitudo
 Rerum & mixtio? frigus en calorem
 Gignit, humidaque igne sicciora
 Nobis è pelago feruntur. ingens
 Amorum Dea Cypris extitisse
 Vndis dicitur, hæc Iouem, poloque
 Quotquot numina, vertit in furores:
 Gnati tot properis, focoque
 Accensis leuiter suis sagittis.
 Num tale Affrica prodidisse monstrum
 Quiiuit? si soboles potest aquarum


Tantum

Tantum, quid facient foci perennes?
 Quænam frigora sopient perustum
 Cor, & membra liquore temperabunt?
 Sed nunc consilium patet roganti,
 Exortum vnde malum est, leuationem
 Quæras, hæc medicina tot periculis
 Multos, atque siti leuauit olim.
 Ignis nam perimit, se editque tandem,
 Quando pabula non habet suprema.
 Amores igitur regas amore,
 Flammas & facibus necesseueras.
 Sic ortam Venerem mari fatebor,
 Et contraria noxius fugari.

Cur Venus è spuma?

Sunt bilis atræ flamina,
 Quæ nos cient Venerem, sed in breuissimam.
 Sic bulla gignit cypridem,
 Breuis est enim cupidinis fruitio.
 Vel salsa, quòd salacia,
 Vel quòd venustum, ac elegans salsum vocant.

Superfluum inutile.
Ad Vitum Rechnerz.



DIVITIAS reputo veras quas exigit usus,
 Et sortem insignem, quam dat habere Deus.
 Porrigit en quantam bos lassus pondere linguam,
 E linguis nulla est sed crocodile tibi.
 Est gruisbus, cygnis, anser tibi care, πελάργους
 Collum, non sitiens an opus ales habet?
 Cuique suum tribuit varium qui condidit Orbem,
 Quique dedit totum, parte deesse nequit.

Quæ

Quæ sequimur fugimus, nosque fugiunt.

Ad Philip. Apianum.



QUID semper querimus deesse nobis?
 Cur nunquam satiat fames perennis?
 Haud res nos fugiunt, loco solemus
 Ipsi cedere sed fugaciore.
 Mors nos arripit antè quàm lucremur
 Tantum quod cupimus, Deum & precamur,
 Vel si rem fateare confitendam,
 Res, & nos fugimus simul fugaces.
 Ne sint diuitiæ tibi dolori:
 Ac veram statuas beatitatem
 Firmis rebus, in asperaquæ vita.

Vniuersus status, ἢ λαοκρατία.



FORMICAS homines factas dixere poëtae,
 Sensus inest aliquis, prouida cura mouet.
 Sed sine iudicio concurrunt lege soluta:
 Et glomerat montes paruula turba suos.
 Commouet has quiduis trepidas, Duce, Rege carentque,
 Ordo tenet nullus, sollicitatque furor.
 Has turbant sonitus, apibus dum rusticus aptam
 Constituit sedem, & conuocat alueolis.
 Quum coeunt ciues sine legibus, imperiumque
 Omnibus aequale est, ius, gladiusque silent,
 Et nisi seditio populum vexatque tumultus,

Præmia

*Premia nulla bonis, libera pœna malis.
Vt tempestates turbo pr.cludit arenis,
Horum conditio mobilis, atque status.
Hos fuge, tranquillas si quæris figere sedes,
Nempe nihil firmi res popularis habet.*

B 5

Fortuna




I. SAMBUCI
Fortuna Duce.
Ad Hieron. VVolfium.



SUNT binæ hîc cistæ, quarum tenet altera plumbum,
Auro sed grauis est altera, neutra patet.
Optio si fallat, plumbum vt pro diuite cæcus
Arripias auro: quis tibi caussa mali est?
Hinc quibus ingenium est, multos fortuna retardat,
Non dignisque refert præmia iniqua viris.
In domino non est semper ditare fideles,
Culpa, nec immeritos tot cumulasse bonis.
Nam quos fata premunt, metas contingere fixas,
Et misera nequeunt se releuare mora.
Sed neque Fortuna est quidquam, nisi opinio vana,
Quam merito spernis, vincis & ingenio.

Pietatis

Pietatis vis.



MAIOR sit pietas sanguinis, atque amor
 Fratrum, quàm imperij, diuitis & Tagi.
 Illis hæc etenim præmia seruiunt,
 Et dignis decorant laudibus aſſeclas.
 Virtutes opibus quis neget omnibus
 Præſtare, & ſuperas inferioribus
 Auras eſſe magis numine laudeque
 Completas, niſi ſit cæcus, & impius?
 Lycurgus voluit tradere poſthumo
 Fratris ſceptra, ſibi debita protinus.
 Sed duxit ſatius ſubdita legibus
 Firmanda, imperij quàm eſſe caput ſui.

Plus

Plus quàm Diomedis & Glauci permutatio.

Ad Paschasum Hamelium.



N V P E R *Astrologus* satis peritus
Iussus nomine *Principis* videre
Celum, mox *pluuias* fore, ac *tonitru*
Dixit, sic remoratus est *volentem*
Venatum proficiscier *iuventam*.
Sed cùm nec *pluuiæ*, minùs *tonitru*
Venisset, properant foras *subinde*,
*Mendacem*que adèò *incredant* *magistrum*.
Princeps in *reditu* *videns* *arantem*

Qui

Qui rastris minuebat, & cylindro
 Glebas, num pluuias breui futuris
 Putaret, rogat: ille mox petenti:
 Viginti nihil his ait diebus.
 Euentus quoque dicta comprobauit.
 Princeps Astrologi sui cylindros
 Instrumentaque, queis solebat astra
 Metiri rapit, & dedit ferenda
 Vati ruricolæ domum: iubetque
 Vicissim istius hic ferat cylindrum
 Pro astris, rastraque sedulo colenda.

Quæ



Quæ ante pedes.



QVÆ gallina sibi concredita viderat oua
 Exorbet, nullo pignore spemque leuat.
 Hæc sibi non aliis inseruit, nulla futuri
 Cura, minus sensum posteritatis habet.
 Hoc vicium est multis, qui nullo parta labore
 Consumunt, reliqui temporis immemores.
 Vbera que sugunt vaccæ mulctris proprium & las
 Præripiunt, cur his pabula leta feras?
 At nos non solum nobis, sed viuimus ortu
 Nostris, & patriæ, secula quosque ferent.

Mole-

Molestia vana.
Michaëli Sophiano suo.



MYRMECIDEM nemo potuit superare molesto
 Inuisoque opere, at commoda parua tulit.
 Quadriugos tenui currus forma, arteque finxit,
 Quos alis tegeres paruula musca tuis.
 Quique apis alarum minimo sub tegmine vela
 Abdidit infandum, sed leue fecit opus.
 Quid iuuat artifici tantum valuisse labore,
 Ni prosint, oculos effugiantque tuos?


Nimum

Nimium sapere.



COMINVS aduersum qui spectat lumine Phœbum,
 Nititur & radiis vincere, cecus abit.
 Vane quid affectas cœlestibus addere lucem,
 Ardentemque oculis sollicitare Deum?
 Sola potest magni hoc ales prestare Tonantis,
 Hæc quoque visum acuit, non superare solet.
 Alta nimis lingua, & donata sorte beatum
 Te dic, quodque velis esse, fuisse puta.
 Non benè conueniunt Phaëthon tibi regna suprema,
 Icarus optatis decidit atque polis.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὔδῃν. &c.



EXERCITVS curam gerens somno levis
 Est, nec profundè dormiens.
 Negotiosus semper, & paratior
 Ad arma, primus prodiens.
 Victorias celebres tulit Macedo vigil,
 Laudes, trophæa maxima.
 Sopore nunquam passus est se comprimi:
 Sed altera globus manu
 Detentus, æreum incidebat vasculum,
 Quiete mox se colligens.
 De Iulio fertur minus nec Cæsare,
 Ad singulis vigili vices.


C

Conf.



NIL firmum sine lege stetit, studiisque verendis,
 Consilio pacem, bellaque iusta rege.
 Quod sine iudicio prudenti, & suscipis arte,
 Fœdera sint, moueas seu quoque bella, perit.
 Militie doctrina valet, sanctusque Senatus,
 Atque domum tuta conditione tenet.
 En breuis à rixis concordia, dissidiumque
 Fit longum è focio pectore, ni caueas.
 Attica concessit belli sua sceptrâ Pericli,
 Tyrtæo, & Sophocli sic quoque Sparta Duci.
 Pax melior cunctis, te copia poscit amœnam,
 Tu reparas animos, te sine mæret ager.
 Ergo secessus Cadmi, cultaque sorores
 Et viuant quosquos litera docta fouet.

Causæ inuestigandæ.



MACHINA cur obelo fundetur quæris, amice,
Et velit inuersa conspiciet facie ?

In promptu causæ est, se celsa cacumina propter
Factam, parte tamen sed meliore premi.

Nemo sustineat quid molem pensat ab imo,
Et mouet hic tantum conspiciendus apex.

Vera hæc si ignoras, sunt fundamenta laborum,
Hisque vetustatis post decus attribue.

Non formæ solùm nos, et spectacula vulgò
Commoueant, causas sed quoque scire velis.

I. SAMBVCI
 Importuna adulatio.



MAGNVS *Alexāder patulum qui subdidit Orbem,*
Vt natus esse crederetur è polo:
Illius effigies insignem picturus Apelles,
Addidit adulator trifulca fulmina.
Sed nimium fuit hoc, & res suspecta modestos
Habuit reprensores negotij leuis.
Lysippus plastes qui Regem duxerat ære,
Hastam decere nam magis Reges ait.
Iulius exceptus victor, non Regis honores,
Vult Imperatoris sed vsque nomina.
Fulmina mortales terrent, sunt fulmina celo,
Benignius Reges agunt, & Principes.
Conuenit his Aegis, prestans & Palladis hasta,
Insigne verum herõis istud inclyti.

Vtilitatis ergo, limax.



D V M latitans domiporta vagor, mensisque paratu
 Orno, vel in venerem luxuriosa vocor.
 Omnes certatim redimunt, me colligit usus,
 Delitiis nequeo tum exaturare famem.
 Deposui quando concham, (quæ grata voluntas)
 Proteror, aut risu sæpe reuoluor humi.
 Donec profueris se quilibet addit amicum,
 Casibus aduersis mox violatur honos.

C 3

Modera-

Moderata conditio.


Ad Andream Sbardellatum Episcopum.



QV A E volat aërios montes, super ardua tecta
 Findit, & ancipiti fertur, abitque via.
 Nunc sublime petit, medium nunc aduolat oris,
 Et Iouis imperio digna videtur avis.
 Præ senio, morbis, aut litibus altera nuda
 Nititur, & superas tentat adire plagas,
 Sed frustra tentat, licet hæc oncrantibus alis
 Libera sit, quamuis illa minusque leuis,
 Alatus potis est nubes, equareque cælum,
 Implumis nusquam sed Iouis ales abit.
 Non leuitas tollit, nec onus nos deprimat omnes,
 In medio tutum conditionis opus.

Benignitas.

Ad Georg. Drascouith. Episcopum
 Quinqueecclesiens.



QVANTO plus terræ effoditur, scrobs crescit hiatu:

Et tumulus maior prominet indicio.

Diuitias alius si quis communicat amplas,

Non fit pauperior, statque benigna manus.

Dispereant quorum numi pro numine habentur,


Vicinisque negant omine fontis aquas.

In tenebris cur non capiat sibi lumen egenus,

Num fit flamma minor? num quoque terra satis?

Κοινὰ φίλων dicas si Cræσι ingentia tractes,

Aut bona Pactoli, possideasue Tagum.



CV' M nos diuitiæ erigunt superba,
 Et fortuna beat vel otiosos,
 Obliuiscimur impij Deorum,
 Nec fors adiuuat indigos sodales.
 Are thure vacant, foco & decenti,
 Nec ventura animus videre cæcus
 Dignatur, tumidi aut maris procellas.
 Securi nimium sed in profundam
 Labuntur foueam, grauesque pœnas.
 Si fortuna igitur fouet secunda,
 Illam discito temperare mente,
 Vt prorsus dubiam, & rota volucrem:
 Sic posthac leuius feres nouercam.

Sobriè potandum.



MONSTRA alit Aegyptus, Niloque latentia passim
 Sunt mala, non tutum ut sit possuisse sumim.
 Id canis expertus, simul ut sitis urget amara,
 Non properat gelidis mergere guttur aquis:
 Sed leuiter fauces adhibet, lambitque cauendo,
 Noxia ne potans amne venena trahat.
 A multo refugit potu, & tetigisse paludes
 Sufficit, hoc vitam sustinet ille modo.
 Fædius hic peccant sine qui discrimine semper
 Implentur cyathis, brutaque se efficiunt.
 Ingenium euertunt, rixis agitantur iniquis,
 Forma refert homines, sed rationis egent.

Ars deluditur arte.



INSIDIAS Nili Varus dum tendit inanes,
 Et metuit prædam se fore rana, cauet.
 Quippe statim accurrens, ubi copia arundinis extat,
 Dentibus accisam præripit, ore tenet.
 Sic pressam à Varo prædam transuersa tuetur
 Cannula, sic inhians luditur arte famas.
 Haud igitur veterem repetit limosa querelam,
 Decipit & magnos infima turba viros.

Sors

Sors audaces iuuat.



VT IRA segnes interim leuis ciet,
 Audentius ruant in hostes vt suos:
 Sic sors mouet minus feroce impete,
 Vt promptius fortes magis se deterant,
 Quis Hectori se opponere ingenti studet?
 Haud Nestor annis obsitus, lingua potens,
 Nec inclytus Græcorum Achilles optimus,
 Qui tot trucidarat sibi hostes obuios:
 Ajax sed est cùm lectus inferior, statim
 Armatus effert in superbum se Hectora,
 Nec cedit, ambo donec æstu sint pares,
 Vterque fessus symbolum alteri & daret.

Minuit


Minuit præsentia famam.



NIX stat inaccesso quæ montis vertice, nullis
 Sint licet vrgentes, funditur à radiis.
 Vt valeant vires iusto est opus intervallo,
 Fitque repercussus fortior vsque calor.
 Quid, quod in humanis minuit præsentia famam,
 Profuit obscuro ac delituisse loco?
 Prodidit ignaros audacia, quosue Φιλαύτης
 Dicimus, at timidis nec licet esse nimis.
 Multi quos studium, & commendat Pallas amica,
 Dum tacere vigent, publica scripta premunt.

Laus

Laus in fine.



LAUDEM tulit non qui incipit, aut mouet
 Insigne opus, nam quilibet id potest:
 Finem sed imponit supremum,
 Hic meritos refert triumphos.

Homerus Vlysses πτολίπορθον, &
 Victorem, Achillem nec vocat grauem.
 Aiax licet sit strenuusque,
 Non tamen hos dedit illi honores.

Exercitum vnus nam insuperabilem
 Turbabit, at qui composuit Deus
 Est solus, hic nam seuientes
 Imperio moderatur equo.


Res humanæ in summo, declinant.



IN MEDIO librat Phoebus dum lumina cælo,
 Dissoluit radius, quæ cecidere niues.
 Cùm res humanæ in summo stant, sæpè liquefcunt:
 Et nihil æternum, quod rapit atra dies.
 Nil iuuat ingentes habitare palatia Reges,
 Conditio miseros hæc eademque manet.
 Mors æquat cunctos, opibus nec parcit in horam,
 Verbaque dum volitant, ocyus illa venit.
 Heu, leuiter ventus pellit nos omnis inermes,
 Concidimus citius quàm leuat aura rosas.

Reme-


Remedium tempestiuum fit.



QVÆ nocitura putas cohibe, nam occasio calua est,
 Seroque praeuisis sepe fenestra patet.
 Per rimam inseruit quando caput anguis hiantem,
 Quid prohibet caudam quin etiam ille trahat?
 Praecipue à tergo si instes, noceasque cauendo,
 Et primis addas partibus auxilium.
 Occurras subito, tardè medicina paratur,
 Cùm paries ardet proximus, vsta ruunt.

Sus


Sus lutulenta sequitur.



VNCTIS trahuntur qui culinis, aut penu,
 Veniunt libenter ad paratas & dapes,
 Mores heri, & vocantis hos opus sequi.
 Blandis adulator modis nam pascitur,
 Consuetus & libidinum suauibus.
 Coire cœtibus: videntur haud secus
 Agere, sues quàm qui domum emptas promouent,
 Pedibus ligatas: nam simul vestigia
 Coguntur hinc & inde per cœnum, lutum, &
 Quascunque per vias vocantur consequi.
 Laudatus esse vis si, amato quæ bona,
 Et pura, non mendaciis beabere.

Semper

Semper ignauus.



BVFFALVS à stimulo nequicquam motus acuto,
 Lentus ad agricolæ verbera pergit opus.
 Indocilis semper densa cute spernit habenas,
 Et præter molem nil παχύδερμος habet.
 Quem vis ingenij præstans, studiumque, laborque
 Deficiunt, num quid crebra flagella iuuant?
 Cochlea sit gressu malo, quàm penniger ales,
 Quem cogis, leporem aut fuste sequare, canis,
 Mitigat haud vllum tempus quæ prandia lambit
 Muscam, nèc minus ac semper hirundo fera est.

D

Poëtica



QUID VIS cùm recitem, confectè seriat, ludos :
 Nil est tamen proprium, imitor sed omnia.
 Et veris soleo ficta, his miscere vicissim
 Vera, ut queam pulchra esse serio, & iocis.
 Nec, quod proposui, narro ordine, verba, figuræ
 Sunt liberæ nobis magis, quàm cæteris.
 Non mihi materia, aut pannus, deest vnica forma,
 Vestis quæ singularis, induor tamen.
 Ars sed enim maior variæ aptam nec tere vestem:
 Videor iners, sed artificiosissima.
 Non mea sum, fingor, celestis spiritus intus
 Agit, nec omni quod velim sum tempore.

Πολυπραγμοσύνη.



SIMIA dum laqueos imitari stulta dolosos
 Gestit, in insidiis se capit illa suis.
 Singula qui inquirat sine causa, turpiter errat,
 Et πολυπραγμοσύνη se in sua damna vocat.
 Quid iuuat excipere hos illos, confingere velle,
 Ac leuiter nugis prandia opima sequi?
 Magna licet tulerint interdum munera curae,
 Immodicæ fatuis sed nocuere magis.
 Sutoris nocuit quoque simia stulta tabernæ,
 Precidit propriam, ficta sequuta, gulam.
 Quæ tua conditio poscit moderare libenter,
 Dumque iuuas alios, sit tibi cura tui.

I. SAMBUCI
Diuitiæ inutiles.




QVÆ celebris fama cunctorum per volat ora
 Est Platanus Xerxis, nulla cicada latet.
 Aurea quid profunt, si non pandantur in vsum,
 Atque ferant miseris subsidiumque malis?
 Non ego delitias reputo, nec munera rara
 Condita sint, imis si lateantque locis.
 Ex opibus tantis cur nolim parte sodalem,
 Et notum cana iure leuare fide?
 Heu stultos, qui se inuisos fecere negando,
 Magnus enim qui dat, si capit inde nihil.
 Viscera si terre scruteris copia quanta
 Se offeret, indignè quàm premit omne specus?

Docti



INTERPRES Diuum Latonam ad sicca fluenta
Corripit, ac victam cedere posse monet.
Armis nam exuerat Iuno, lachrymosa querelam
Dedecus ad magnum pertuleratque Iouem.
Mercurius valet ingenio, mandata per auras
Dum memor eloquio nuntiat vsque potens.
Immemor at contra Dian.e obliuio nomen
Indidit, humida enim & frigiditate leuis.
Quod verò ad Xanthum fuerit lis orta, docemur,
Sit potior mixtis humiditate calor.
Spiritus è tenui fomento nascitur, humor
Algidus ast prohibet, vel remoratur eos.
In cunctis etiam superet vis ignea, vitam
Hæc largitur enim, non sine temperie.

In secundis consistere laudabile quoque.



ORPHEVS *lyra valebat,*
Olor sacerque semper
Fuit, suave cantans.
Post hunc bonusque Homerus,
Philomela cui dicata est,
Tanquam loco secundo.
Sed rectius secundum
Illi locum dedissent:
Nam ut Psittacus meretur
Primas, loquax secundas

Pica,

*Pica, iste vincit illum.
Hoc Symbolum referri
Ad eos potest, gradum qui
Laudemque non tenere
Primam queunt: sed inde
Virtute mox sequentem.*

D 4

Προ-






CÆCVS amor nunquam ratio quid dicet honesta,
 Et quid conueniat, quid noceatque videt.
 Sed ruit, ac fertur, pronum ille tabile fatum
 Donec corripiat, perdat & omne genus.
 Quid Niso imperium rapuit, Minoaque regem
 Auxit, quàm nata consceleratus amor?
 Impia quid lucri tulit, an Cretensis amore,
 Tot curis tandem fessa, potita fuit?
 Hostem qui patrie fouet, atque libidinis ergò
 Omnia postponit, spretus vbique iacet.
 Qua spe soletur metuentes proditor hostes,
 Quem cuperet nunquam se genuisse parens?

Indu-

Industria naturam corrigit.



TAM rude & incultum nihil est, industria possit
 Naturæ vitium quin polisse, labor.
 Inuentam casu cochleam, temereque iacentem
 Instruxit neruis nuntius ille Deum.
 Informem citharam excoluit: nunc gaudia mille,
 Et reddit dulces pectine mota sonos.
 Cur igitur quereris, naturam & fingis ineptam?
 Nonne tibi ratio est? muta loquuntur, abi.
 Ritè fit è concha testudo, seruit vtrunque:
 In venerem hæc digitis, sæpius illa gula.

Dolus ineuitabilis.



QVAMVIS centū oculos habeas, totidēque ministros,
 A specie veri fallimur, arsque capit.
 Fraudibus obscuras poteris remouere latebras,
 Nilque adeo firmum quā violare queas.
 Quā vigil est Argus? sepelitur carmine blando,
 Callidus ingreditur pectora Mercurius.
 Quis sibi ab insidiis caueat si fraude tegantur?
 Non ficta quantum præstat amicus ope.
 Sed tales (mirum) paucos hæc protulit ætas;
 Quisque sibi viuit, cuncta regitque dolus.
 Dic simul occisum custodem, nam solet ofor,

Sint

*Sint oculi ignauum quotlibet, esse Deus.
 Denique segnitie mota, & torpore reciso,
 Aeternis certat gloria sideribus.
 Inde suam ornauit caudam Iunonius ales,
 Perpetuus tristi splendor ab ense venit.*

Ridi-



Ridicula ambitio.



QUID non ambitio persuadet dedita vanis,
 Dum ex leuibus certum captat inepta decus?
 An' non ex auium cantu, quas gutture nomen
 Fingere consuerat, notior esse cupit?
 His igitur tandem missis vt spargere in Orbe.
 Nomen heri possent, atque sonare procul;
 Pristina continuo repetebant carmina sylvis,
 Annonis & votum docta sefellit auis.
 Ficedulas etiam religatas pertrahit esca,
 Stamina si rumpant, libera rura petunt.
 In leuibus queso, firmam ne ponito laudem:
 Sola fugit virtus tristia sata rogi.

Cur


Cur fues cancris vescantur.



S V S capitis curat grauiorem sepe dolorem,
 Dum canculos fluuuis qui generantur, edit.
 Collige verborum que sit sententia paucis,
 Singula nam prosunt moribus apta bonis,
 Qui vitiis sese dedunt, & praua sequuntur,
 Ad frugem nunquam mens nisi versa redit.
 Est opus inflectat vitam contrarius ordo,
 Atque gradus retro, quomodo cancer, eant.
 Hec medicina leuat lutulentos nectare morbos,
 Consilio vt liqueat poenituisse mali.

Vfus

Vfus, non lectio prudentes facit.
Ad Fulvium Ursinum suum.



NON doceo semper, non est cur sepè reuisas,
 Lectorum memorem pagina nostra facit.
 Possidet ingentem numerum qui vendit auarus,
 Doctior at nunquam bibliopola fuit.
 Perpetuò si nos verses, relegasque seuerus,
 Si non vtaris, contineas ue memor:
 Nunquam proficies, perit labor, atque lucerna.
 Officij hoc nostri vt te moneamus erat.
 Id quoniam rectè noras doctissime Fului,

Impri-

*Imprimis veteres te erudiere libri.
Horum tu numerum insignem, rarumque tueris,
Ingenio multos restituisque libros.
Id quoque delectat Sambucum, & tota vetus as:
Prosimus quibus est copia nulla, vale.*

Vcl



Vel minima offendunt.



PARVÆ etiã causse magnos in damna vocarunt,
 Scrupulus incoeptum nõnne moratur iter?
 Ingens è Ponto piscis desertur in Istrum,
 Husonem vulgò Pannonis ora vocat.
 Paruulus aduerso nare hunc quoque flumine cogit
 Sturiolus, nostras hoc cumulatq̃ue dapes.
 Quàm leuiter præda potitur piscator amœna,
 Dulcibus æquoreas dum Husò relinquit aquas.
 Sic furem, longis artem qui exercuit annis,
 Mica salis meritam cogit adire crucem.

Varij

Varij hominum sensus.

Ad Franciscum Forgas Episcop. Var.



QVÆDAM anus in sacrum portabat crania collem;
 Osibus humanis ne minuatur honos.
 Sed titubans ægris pedibus cùm verticem adiret,
 Concidit, ac varium crania versat iter.
 Illa videns labi diuersè cuncta retrorsum,
 Quodque adeò discors semita ferret onus:
 Quid mirum si tot sensus, quot in vrbe figure
 Sunt, ait, in viuis, num osibus vna via est?
 Nónne iecur Tityi restat, subitoque renascens
 Exercet variæ quæ laniabat, auem?
 Sic dum nos tellus indutos mole dolorum
 Detinet, ancipiti mens vaga fertur equo.

E

Temera-

Temeraria ignorantia.
Ad Bartholom. Marlianum.




MVSCÆ sunt temerarie, & molestæ,
 Lambunt prandia, nec mouentur aclæ.
 Has ut fortis, & inclytus repellit,
 Nec suffert, ita literas colentes
 Mites sunt studiis, loquacitatem,
 Ignaros, temerariosque vitant.
 Hi audent quiduis enim mouere vbique,
 Auresque obruere elegantiores.
 Ceruus cornibus abdidit reliclis

Se, maremq̄ue piget, magè est pudicus.
Sic quos expoliunt nouem sorores,
Et florent solida eruditione :
Hos lenes videas, parum & loquentes,
Nec nugas modò venditare inanes.

E 2

Pericu-



Periculum in promptu.



SÆPE' malum expertus tacta torpedine conto est
 Piscator, rigidam dum trahit ille manum.
 Sit licet in fundo piscis, nec corpora tangat,
 Per quod contiguum est frigore, scuit iners.
 Fatales veniunt casus, sperataque nunquam
 Damna, licet caueas, effugiasque procul.
 Nil sine fraude agitur, quauis latet anguis in herba,
 Nec metuenda solent impedisse magis.

Interiora vide.



F O R M A tibi prestans, oculi cum fidere certant,
 Atque habitat toto corpore pulchra Venus.
 Sed vitii animus, mens undique, corpore toto
 Atque sinus pleni, mixta venena latent.
 Est manus ad cædem prompta, ad periuria lingua,
 Lumina, frons meretrix, nec pede tutus ades.
 Quàm malè Mercurius dotes cum Cypride iunxit,
 ὡςτε καλῆ μὴλῶς nil color intus habet.
 Ergo puer multum soli ne fide colori,
 Ni probat hunc virtus, quî mihi pulcher eris?

Virtus vnita valet.

Ad Principes Ungariæ.



NIL mare corrumpit, *salsum à putredine tutum est,*
Multaque perpetuis motibus acta, vigent.
 Si tamen in fossas deriuës, atque paludes,
Vim patitur, dotes nec tenet inde suas.
 Dulcibus amittit vires, nitrique vapores
Exhalant, quoties mutat origo noui.
 Plus vnita potest virtus, dispersa labascit,
Atque suo durant quelibet apta loco.
 Pignore commutat suaui translata veneno

Persicus,

*Persicus, & tutis carpitur illa gulis.
 Fluctibus in medijs patriæ tot cladibus actæ
 Concordi proceres subueniatis ope.
 Nec vos exosæ mentes, propriæque salutis
 Oblitæ exagitent, & nota turpis alat.
 Huniadis memores, ac Regis queso Mathiæ
 Estote, ad quorum nomina Thurca tremit.
 Diuersum ne vos studium disungat iniquè,
 Colligat in patriæ vos amor vnus opem.*

E 4

Impera-



Imperatoris virtutes.



QVÆ ratio belli sit, qua virtute Ducemque
 Instructum cupiam, si præstet fortibus ausis,
 Ni piget, en breuibus declarat symbolon istud.
 Consilio celerem decet, eloquioue potentem
 Esse Ducem vt caueat, tardos, Martisque perosos
 Exacuat, regat, inflectat sermone suavi.
 Cum proprium est paret arma, nocet cunctatio vana,
 Infractusque animo reliquis præcurrat in hostem.
 Anguibus & studium pacis, foedusque notatur.
 Nil tamen hæc profunt, vacua estque scientia belli,
 Si fortuna nocet, pulchros confundat & orsus.

Alsit


*Absit auarities, dominetur nulla cupido,
Principis vt sequier possit vestigia miles,
Quem videat propriis parentem legibus vsque. •
Hunc fore victorem credas, dignisque triumphis
Imperioque ferentem cui venientis honores.*

E 5

Phyficæ



Physicæ ac Metaphysicæ differentia.



NATVRÆ multa est cognatio mobilis, atque
 Prodiit æternis, illaque nosse monet.
 Est etenim foetus veluti genitricis amicæ,
 Sed patitur, soluit tempus edaxque breuem.
 Quidquid enim regitur, proprio nec nititur ortu,
 Compositis abeunt partibus, atque iacent.
 Illa sed excelsa manet, & stat sede perennis,
 Temporis ac nullis motibus obüicitur.
 Ocia amat, mentem pascit, non utilis omni,
 Huius tu sobolem sed cole præcipuam.
 Utque solent τ' ἠδ' ἠν vitam cumulare benignè,

Τοῖς μετὰ sic φυσικοῖς præfero ego φυσικὴν.
 Illa tibi effigies monstrabit dextra, manusque
 Accipitre aërio prouida templa Deum.
 Altera pars grauis est elementis atque caducis,
 Et Vesta templo quæ tibi Terra siet.
 Attamen his potior cunctis sit religionis.
 Semper honos, mentem dirigat illa tuam.

Dum



Dum potes viue.

*Ad Achillem Bochium, tanquàm paren-
tem, de sepia.*



DUM me venatur, sequitur piscator auarus,
Decipio effuso prompta liquore manus.
Obscure latices me condunt, cernere tectam
Atramenta vetant, abdita tuta nato.
Sic quibus in promptu modus est defendere vitam,
Cur non effugiunt, sequè tuentur ope?
Donec qui cælo hanc animam demisit ab alto
Nos vocet, ac tenebras mutet honore graues.


Displicet

Difficet immatura Deo mors, nulla potestas
 In vitam, supera quod datur arce, tibi.
 Polypus euadit, vario dum ad saxa colore
 Se induit, atque alias iniicit vsque moras.
 Tu qui prestiteris tantum, possisque, libenter
 Ingenij nobis des monumenta tui.

Gene-



Generosis DD. Marco & Ioanni
Fuggeris fratribus.



LILIA Fuggeris donans certissimus autor,
 Hæc, ait, æternum non modò vere tuli.
 Quidquid & addiderit virtus, tempusque serenum,
 Compositis sit idem ius, sit honosque volo.
 Spes fuit, hanc cumulant virtus, & fama perennis,
 Arma domus propria hæc nobilitatis habet.
 Diuitias virgo dedit, haud temerarius error
 Fortune, idque docet largior usus opum.
 Nam quibus hæc causis veniunt, commercia digna
 Orsibus, & laudis nomen habere solent.

Viiite

*Vivite concordēs linguarum dotibus aucti,
Crescite multiplici semper honore pares.
Inuideat nemo, noceat minus osor iniquus:
Assiduos meritis vesper, & ortus amet.*

De



De obliuione & ferula Baccho dicata.

Odi memorem compotorem.



*ODI symposij memorem, dubie & simul
Litis: nam calices volo, verbaque libera,
Ludos atque iocos niue pectora candida.
Baccho rectè igitur veteres Ferulam dicant,
Oblitumque cor, vt penitus sileant, suos
Aut læsi socios leuiter modo puniant.*

Spes certa.



PASSIM mortales spe seducuntur inani,
 Luditur & vanis non temeranda fides.
 Quid magis est ovis dubium, sint candida quamuis,
 Nonne mouent stomachum, damnaque sepe ferunt?
 Si Gallina tamen genitali hic incubet igni,
 Ac foueat presens subdita dona calor,
 Certius an quidquam pullis, & saenore viuo,
 In tutis igitur spemque decusque loca.

F

Epi-

Epidemiæ potior caussa.
Ad Ioan. Baptistam Razarium.



TETRAM nimis describit, ac luem grauem
 Graingentum proceres trahentem amarulenter, &
 Exercitum in dies magis voracibus
 Faucibus, atque odio prementem Homerus optimus.

Apollo nam infestus suis radiis potest
 Inficere aërias plagas, nocere plurimum.

Est medicus & simul solet depellere
 Noxia, cum libuit, salutis auctor integer.
 Sed quod cadebant bestiae primùm solo,

Tardius

*Tardius atque homines sensere tabem post malam,
Erectior quia ambulat, nec spiritus
Pestiferos subito traxere terra in intima.
Cælo hæc Achiuis pœna venerat,
Dum nimium cupidi videntur ultionibus.
Sed nos Deum precemur, auertat malum hoc,
Et meritos grauius, monere leniter velit.*

F 2

Mens



Mens immota manet.



DICITVR interna vi Magnes ferra mouere:
 Perpetuò nautas dirigere inque viam.
 Semper enim stellam firmè aspicit ille polarem.
 Indicat hac horas, nos varieq̃ue monet.
 Mens vtinam in celum nobis immota maneret,
 Nec subito dubius fluctuet illa malis.
 Pax coëat tandem, Christe, vnum claudat ouile,
 Lisq̃ue tui verbi iam dirimatur ope.
 Da, sitiens anima excelsis sic appetat arces:
 Fontis vt ortiui ceruus anhelus aquas.

Iniuria

Iniuria grauis est omnibus.
Ad Hadrianum Gulielmum Neapolitanum.



D V M mollis, bibula & scopulis auellitur vdis
 Spongia, vim veluti sentiat illa, tremit.
 Quò magis est viuis iniuria, visque dolenda,
 Hinc odium, cædes, vltio mœsta, furor.
 Vel leuiter contra nitenti verba minantur,
 Et cessisse parum dedecus esse putant.
 Haurit at vt patiens, multa hanc distendit & vnda,
 Tristia non meritò sic toleranda bonis.
 Iustus erit vindex cunctorum crimina quærens,

Se huius qui patitur sustineat monitis.
Reddet pro factis quantumlibet ille modestis,
Impia iudicio fex peritura Dei est.
Nilominus studeo benè de quocunque mereri,
Officio vincam sic stimulum inuidie.

Deum



Deum velle, non cogere.

Ad Ioan. Auratum.




QUID QUID inest nobis, venit altis sedibus, omne
 Teque iuuat, gratus si modò suscipias.
 Nam velut è celo si pendeat ætheris hamus,
 Si fugis, auerso non trahet esca loco.
 Scire libet verum, è nihilo qui cuncta creauit,
 Os homini, & mentem cernat vt astra dedit.
 Hanc aliis sobolem præfert, æterna tueri
 Atque velit s' imper iussa paterna sequi.
 Præmia proponit largus, pœnisque luendas,

F 4

Non

*Non beat inuitos, lenta sed vsque mouet.
Ni propria, & nobis ignota mente legantur
Felices, & quos Tartara dira vorent.
At nos, summe pater, tua sit qu.ecunq; voluntas,
Celesti immeritos sede locato, precor.*

Æscu-



Æsculapius.

Ad Volfgangum Lazium polyhiftozem.



QVÆ cernis Medici referunt insignia veri.
 Noctua, cum baculo serpens, dextraque salutis
 Effigies, pullus, proluxa & barba, galerus.
 Hæc Asclepiadi tribuebat docta vetustas.
 Vim medicinarum teneat, moderetur & arte.
 Sitque valetudo ante oculos, non sordida lucra,
 Hinc vigil & norit casus predicere morbi.
 Est sacra gallina, ut victum prescribat amicum,
 Et succo tenerum, vires ut conferat egro.

Γλαυκῶς monet & fieri grauiores nocte dolores.
 Ac licet imberbi fingatur Apolline natus,
 Ipse gerat barbam, iuuenis nunquam ausit adire
 Suscipere ægroti aut curam, ne ledat ineptè.
 Dicitur imberbi natus quoque barbiger, ortum
 Vt subita morbum credat mutarier hora.
 Ergo prouideat, fugiat ne occasio segnem,
 Currit enim hæc præceps, momento & perdidit ægrum.
 Pileus insignis quia morte eliberat atra.
 Hæc sciat Hippocrati cupiens iurare magistro.
 Hæc adèò Laxi custodis, clara Vienna
 Artis Apollineæ decus vt te prædicet, ornet,
 Et sese tanto securum iactet alumno.

Nemi-



Neminem fors continet sua,

Ad se ipse.



NEMO sua potis est contentus vivere sorte,
 Alterius semper fortunam laudat abundè.
 Illiusque locum petit, ac lucrari optat.
 Cecum odium proprij, quid non mortalia cogit
 Pectora? quas curas præter rem vna ingerit hora?
 Mercator leuibus tentatus fortè periclis,
 Miles, ait, potior: cur non mage castra sequamur?
 Belli pertæsus nummosus prædicat arcas,
 Agricola docti, quos magna negotia vexant,

Grami-

Gramineas iactantque casis, victumque modestum.
 Hi contra lesi, cum iurgia dira fatigant,
 Vel caelo segetes tanguntur, moenibus omnes
 Felices clamant, & iugera parva queruntur.
 Quod si caelestes illorum vota, phrenesim
 Audirent, rueret subito in contraria vulgus.
 Iidem eadem reprobant, properis mutantur & horis.
 Sed Deus omnipotens deceat quid quemque parauit:
 Nec furor, aut stultus leges diis ponere quærat.
 Naturam paucis reficis, nec diues egeno
 Plus habet: excruciat qui se mercator ad Indos,
 Non adeo fruitur partis, nec premia grata,
 Sint maiora licet, quam cura domestica portat.
 Pignore syluestris mites superat quoque pomos.
 Caprificus cumulat ficus, non illa sapore
 Sed tamen has æquat, cultus quas educat hortus.
 Tu, quodcunque venit diuino munere, lauda,
 Cræsus an Irus eris non te coquat: omnia præter
 Quam pietas Christi, vaneſcent puluere in auras.

Gene-

Generosa vestigia.

Ad Iulium Comitem à Salmis.



PENNA aquilæ non fert alias, corrodit edendo,
Et nocet admixtis è propiore loco.

Quis neget alitibus diuinæ munera fortis
Non eadem, & variè distribuisse Deum.

Ante solet tempus teneros depellere nido
Pullos, & fortes protinus illa facit.

Aduersum cogit solem quoque sollicitare
Luminibus, lachrymæ ne temerè officiant.

Quo quid nobilius, vestigia parte tuetur:

Natu-

*Naturam retinent relliquia'ue parem.
Sic quos commendat genus alto à sanguine Regum,
Conspicitur, signum & nobilitatis habent.
Fortis equi proles denso sic pulvere gaudet,
Degener haud aquilas vlla columba tulit.
Sic atavos, proavosque tuos imitaris & ornas,
Iuli Salmorum suspiciende Comes.*

Amor



Amor dubius.



AMOR venustis imminet,
 Venustiores separat,
 Secutus haud semper capit.
 Ciens cietur mutuo,
 Moratur & spe subdola,
 Amaror hoc suavior,
 Et nullus est amarior.
 Habens habetur lubricus,
 Quantum addit aufert flammula,
 Cor alterat sepe & die.
 Ut follis est in flamine,

Non

Non dat prius, ni acceperit.
 Mora est amor solubilis,
 In spe timorem copulans,
 In gaudio fallacibus
 Ludens, inanes ebrians,
 Plenos leui vacuans modo,
 Vicens calore frigidus,
 Præter nihil dans spem & metum.
 Nudum caue puellulum,
 Nam vulnerat sæuissimè,
 Sed curat haud tutissimè.
 Mellitus & subblandulus
 Subegit omnes celites.
 I, post tribuas cupidini
 Incertior certissima
 Dolore qui torquet graui,
 Grauem tamen nec senseris:
 Virtutis ast amor sibi
 Constat, nec aufert premia.
 Ornans suos laboribus,
 Memoriam nec immemor
 Fraudans, beatis aggregat.
 Sollicitet hic nos postea,
 Sequamur, & sequentibus
 Annis secuturum decus.

Dulce

Dulce venenum.



D.V.M. coit in suauem mas usum, vipera hiulco,
 Si non vana fides, excipit ore caput.
 Post vbi se satiant, & consuetudine longa
 Implere, gulam dentibus illa fudit.
 Luxus suauem malum, non sentis, pascit edendo,
 Cumque bonis vitam sustulit ante diem.
 Quid mihi post mortem natorum illa ultio prodest,
 Quod matrem nixus corripuere nece?

G

Nullus

Nullus dolus contra casum.

Ad Stephanum Gentilem, nobilem Genuensem.



QVIS non miratur noua quae spectacula nuper
 Danubio sunt visa soluto?
 Bruma gelu pingues latè compresserat agros,
 Plaustra uehebanturque per Istrum.
 Accidit ad Regenspurgum, quæ libera floret
 Imperio vrbs, ut vulpis oberrans
 Per glaciem & ludens concreto tergoze aquarum
 Deciperetur, & vda veniret.
 Fortè etenim frigus, medio dum Phœbus in axe

Verfat.

Versat equos, dissoluitur vna,
 In partes que abiit glacies, vulpecula praeceps
 Corripitur, frustoque residet.
 Atque ea dum metuit liquidum contingere flumen,
 Hoc iter insolitumque natate,
 Per medium fertur glacie alueum, donec anhelat
 Vendobona capiat in oris.
 Iam dic, quae casus contra vigilantia pro sit,
 Quis dolus haec caueatque futura.

G 2

Empta



Empta dolore voluptas.



STELLATAM ostentat caudam Iunonius ales,
 Sed natibus monstrum cælat, inestque vorax.
 Ducitur à tergo vinctus qui pascit edacem,
 Quicquid erat lucri prodidit inque feram.
 Cui meretrix forma placet, utque colatur inescat,
 Perpetuò ad turpes cogeris esse nates.
 Has alis, & semper veneraris donec abundas,
 Pauperior cum sis, pellit amica foras.
 Heus fuge scorta procul, nocet empta dolore voluptas.
 E' Venere & Baccho, semina mortis eunt.

Neces-

Necessitas dociles facit,

Ad Joan. Panithy, sororium.



NECESSITAS. quid non docet, fames simul?
 Natura sepè his nam solet mutarier.
 Formare vocem Psittacus consueuerat,
 Hero & salutem dicere, ac molestias
 Lenire Caesaris: loqui necessitas
 Coëgit & Cræsi parentis filium.
 Auiculas cernis sitim vt leuant suam,
 Trahendo quas appendis vnulas aqua,
 Clausum penuq̄ue rostro vt inquirant suo.
 His disce tu prudentius loco, & sero
 Servire, cui ratio est, sagaxq̄ue dictio.


Sera parsimonia.



SEMPER eris pauper redivus si sumptibus aequus,
 Et larga dones munera cuique manu.
 Enumera census, subduc ratione super sit
 An multum, lapsō & mense quid addideris.
 Tempore provideas, vacua ne sede morere:
 Marsupio restet quantula summa vide.
 Ne senium, morbi, duris & rebus egestas
 Quando urgent, ludat fundus inanis herum.
 Nec tamen insideas partis, non crastina verses
 Sollicitè: fructus sit mediocris opum.

Sapientia

Sapientia insipiens.
Arnoldo Arlenio suo.



A CEREBRO sensus manant in corporis artus,
Sed tamen exhibiti muneris auctor eget.
Quod mouet est expers motus, mirabile dictu,
Viuidus & vacua spiritus arce datur.
Haud secus ac cotis ferrum, licet ipsa secandi
Exors, communit, donat acumen hebes.
Qui sua distribuunt, aliisque cauere videntur,
Cur sapere hos dicas? re sine nomen habent.
Proximus esto tibi, vicinum deinde iuuato:
Sic potes alterna commoditate frui.
Ne cuius credas: mores Arnoldi vetustos
Cum libris frustra querimus Orbe leui.

Tempore cuncta mitiora.



PRÆTERIENS quidam vites, nondumque calore
 Maturum arripiens gustat, damnatque racemum.
 Quinetiam pedibus contriuit, nullus ut inde
 Austero imbueret succo sua labra viator.
 Iudicium prauum est hominum, nec tempora norunt
 Expectare, minus cupiunt subiisse labores.
 Ardua sunt aditu primò, quæ pulchra fatemur,
 Tempore sed fiunt opera, & post mitia cuncta.
 Sed refugit penitus botrum formosi puella,
 Casta & ἀποιος enim, sidus nec palmiti amicum est.


Versura

Versura inextricabilis.



VERSURAM facio, quod soluo debeo semper,
 Promouet & quantum pes, tenet alter item.
 Nomina conficiens mihi non, sed lucror amicis ;
 Pro me, proque aliis angor, vtrunque nocet.
 Alterius qui vult opulentior esse crumena,
 Non sua connumerat, pars ea maior abit.
 Quanto esset satius curarum demere partem,
 Ac tenui, modò sit commoda, veste tegi?
 Quid mihi si plumis alienis induor, intus
 Nil proprium quod sit postmodò possideam?
 Turgida nunc Phœbe lucet, nunc indiga prorsus
 Fit : nam quod monstrat, fratris ab orbe tulit.


I. SAMBVCI
Mutua & Coniuncta.
Ad Francisc. Robortellum.



ÆREA quæ turri auditur campana, monetque
 Ad sacra conueniant vir mulierque Deum,
 Non à se reboat, pistillo tacta sonabat,
 Hæc operam tradunt mutua, vimque sibi.
 Quis sapiens dici poterit, si sensa voluntas
 Exprimere, & docta nesciat arte loqui?
 Dat sine mente sonum vacuo qui pectore verba
 Fundit, & ingenium quod caret eloquio.
 Nec minus exiguam studium sine diuite vena
 Fert laudem, vnde quid contulit ingenium?
 Hæc tu præclarè iungis, cum laude docesque;
 Te schola miratur, te Veneti que colunt.

Orium


Otium sortem expectat.



COLLE molendinum paruo statuere parentes,
 Ventus vt exagitet, farræ terantque mole.
 Omnibus vt vitam auxiliis ars protegat, ornetque,
 Opprimat incautos ne diuturna fames.
 Ast ratio melior quàm suppetit vnda perennis,
 Flabraque dum desunt ne rota cesset iners.
 Ventifona ignavis similes, quibus otia cordi,
 Dum sortem sperant, ingenioque vacant.

Mixtus

Mixtus status ουκ άνευ άρχοντος πρώτος.



FLORILEGÆ quod apes faciunt æstate vagantes,
 Illarum mixtas more sequamur opes.
 Hæ Regesque Ducesque colunt, his semina mentis
 Aeternæ, & parent legibus, arma cient.
 Observant proceres, & queis meliora videntur,
 Vnanimes cunctis ritè præesse volunt.
 Nil sine consilio Princeps, reliquus ue senatus
 Suscipit, ingestum sicque tuentur opus.
 Exercent Martem, sunt his simulacra quietis,
 Ignavos pellunt, præmia dantque bonis.
 Has tibi proponas: nisi sit pietate Monarcha,


Qui

Qui sine re tantum nomen habere velit.
Ipseque non minus ac alij, sua iussa capeßit,
In quibus est æquum, & publica damna cauet.
Talem si quisquam sperat, tu Maxime Cæsar
Es Fernande, tuus Maxmilianus erit.

Non



Non dolo, sed virtute.



BERGÆ (est oppidulum mari propinquum
 In pinguem patet vnde iter zelandum)
 Nuper simiola edidit notandum
 Exemplum, simul & dolo iocosum.
 Nam cum castaneas foco sepultas
 Vidisset, cinerem institit mouere,
 Prunas sed metuens, statim catelli
 Stertentis pede surripit coactō.
 Res est digna fide recentiori.
 Laus est alterius malo cauere,
 Sed fraus est alij dolo nocere.

Fraudes

*Fraudes ne cetera qui solent malignè,
Querunt commoda sic malis bonorum.
Delirant quoque Reguli, Ducesque,
Sed pœnam luit innocens popellus,
Huius sanguine diuidunt furores.*

Stultitiam




I. SAMBUCI
Stultitiam patiuntur opes.



MULTI quos opibus Deus beavit,
 Aut Fortuna, solent leues abuti
 In res prodigialiter nocentes.
 Vt quæis ingenium foret benignum,
 Et doctas sequier velint camœnas,
 In fastus abeant, opes morentur,
 Nulli vt consuluisse, nec iuuare
 Dignentur premit vt bonos egestas.
 Nollem diuitiæ mihi darentur
 Iste, quæis decus, & perenniores
 Laudes impediuntur, ac mouentur.
 Quare stultitiam pati venustus
 Vates dixit opes, nec expetendas,
 Fortunatus eris, sed haud beatus.

Partium τῆς οἰκουμένης σύμβολα.
Ad Hubertum Goltzium antiquarium.




EST regio quæuis climate certo
 Aëre distincta, & commoditate.
 Quælibet haud quiduis terra feretque.
 Africa monstrosa est semper habendo
 Antea quod nemo viderat vsquam.
 Fert Asia immanes frigidior
 Nempe solo apros, & nimbigera vsos:
 Sed reliquis vincit viribus omnes
 Belua, quam Europæ temperat aër.
 Taurus vt est fortis, bufalus vnâ.
 Ergo sit Europæ taurus alumnus,
 Africæ at insigne sitque Chimæra.
 Sint Asiæ immites vsus, aperque.

H

Quibus

Quibus Respublica conferuetur.



NON satis est Regum titulos, in signe, coronam,
 Atque magistratus gerere, vt Respublica firma
 Stet, mancant leges, pulchris ac rebus abundet,
 Artibus efficitur, quæ & non vulgaria dicas.
 Nempe suos redamet ciues, patris induat artus,
 Presentemque statum foueat, nec mutet iniquè.
 Legibus, vt reliqui, propriis & pareat author.
 Protegat insontes, vitiosos pellat abusus,
 Hostibus occurrat, valeat subiecta tueri,
 Vnde sit, accipiat : quid enim imperium sine neruis?

Præcipuè

*Præcipuè studeat cultum retinere Deorum,
Inde suis promptè, atque aliis tribuisse benignè
Quod decet, atque æquum iuris præferre rigori.
Qui moderantur onus, prudentes, quàm sapientes
Sint magis, exemplis dignos testentur honores.
Laus virtutis enim non scire, sed actibus, vsu
Et præstare : decus sequitur, sic pax'ue perennis
Rectorem, ac ciues longum seruantur in æuum.*

H 2

In



Ad Paulum Manutium &c.



QVI vigiles studiis noctes egere, diesque
 Parcere non oculis, nec voluere sibi:
 Hos celebres lato nomen disseminat orbe,
 Ac simul in cælum fata suprema vehunt.
 Mortua non mors est, quæ etiam post funera viuit,
 Hoc decus à Musis, præmia tanta ferunt.
 Id cute nudatum caput, & tuba, vitra libelli,
 Hora refert, laurus, nuntia fama, globus.
 Ista ferè Brugis, Viues Lodouice, sepulchro
 Addita sunt vestro symbola marmorco.

Præcocia

Præcocia non diuturna.




PRÆCOQVA si carpit, & que matura colore
 Non benè sunt, hora spes alit exigua.
 Nempe cadunt fluida, atque sua putredine lucem
 Momento simul hæc, interitumque vident.
 Bechion id medicos docuit, quod flore superbo
 Ante diem emisso caule statimque perit:
 Ut multis dubium anceps commouerit herba,
 Hæc duo num soleat pignora ferre sibi.
 Floribus haud tuta est properas quoque amygdalus ipsa,
 Gloria nam præceps vix triduana viget.
 Humida nature subito vis carpitur igni,
 Et viduus sese conficit ipse calor.

H 3

Partes

I. SAMBVCI
Partes hominis.



PRÆCIPVAS nostri partes tribuere vetusti
 Diis, quorum ambigua vertitur ordo via.
 Linguam Mercurio, cuius facundia pacem
 Nunciat, & Diuûm bella minatur ope.
 Splenem Saturno, tetra non bile senescit,
 Tristibus & vitam sustinet ille modis.
 Iupiter ast hepar proprium deposcit, amoris
 Namque putabatur fons, & origo noui.
 Sanguinis est cupidus Mauors in prælia ducens,
 Cor, cerebrum Phœbi, quippe calore vigent.
 Sed stomachus Lunæ, quia debilis, humidiorque
 Renes & generis membra cupido fouet.

Ambi-

Ambitio.



QVOS levis ambitio inflauit, populiq̄ue fauorem
 Muneribus captant, gloria vana subest.
 Hosq̄ue vtri pleno aſſimiles, ventoq̄ue tumentī,
 Nam arbitrium vulgi ſemper inane ſonat.
 Qui tribui veram ſibi laudem querit, ineptos
 Contemnat plauſus, iudicioq̄ue regat.
 Virtus æternū celebrat, pietasq̄ue tuetur:
 Laus & laudatis eſt placuiſſe viris.

Musarum, ex antiquis numis Q. Pomponij, vera effigies, & etymologica vis ex Virgilio,

Ad Hannibalem Cruceium.



CLIO gesta canens transactis tempora reddit.
 Melpomene tragico proclamat mœsta boatu.
 Comica lasciuo gaudet sermone Thalia.
 Dulciloquos calamos Euterpe flatibus vrget,
 Terpsichore affectus citharis mouet, imperat, auget.
 Plectra gerens Erato saltat pede, carmine, vultu.

Carmina


*Carmina Calliope libris heroica mandat.
 Vranie celi motus scrutatur, & astra,
 Signat cuncta manu, loquitur Polyhimnia gestu.
 Mentis Apollineæ vis hæc mouet vndique Musas,
 In medio residens complectitur omnia Phæbus.*

H 5

Casus



Casus interdum natura supplet.



DICITE mortales si quid mirabile dictu
 Vidistis, vel visuros vos creditis unquam.
 Multa ferunt casus, naturæ impletur & ordo,
 Quo sit cunque modo. Porcam venatibus vrgens
 Quidam consequitur, transfigit cuspide acuta.
 Vulnere de medio labuntur pignora, onustam
 Interimens matrem foetus deliberat aluo.
 Atque ita quod mixu vix effecisset anhelu,
 Porca suam sobolem dat casu mortua viuan.
 Sic genitus fertur materno funere Bacchus,

*Sit licet ille bimater, at hi gemina quoque foetus
 Eduntur matre, & grauida, & qui perforat hasta.
 Sic pariter lucem mittit sus, datque soluta.
 Vbera sic dolitura Atalanta prebuit vrsa:
 Lethiferum & casu mox commoda portat vtrique.*

In



In sponsalia Ioannis Ambij Angli, & Albæ Rol-
læ D. Arnoldi Medici Gandauensis filix.



ANGLICA progenies, & nobile pignus auorum,
Ergò fidem dextre virgo pudica dedit?
Flectere tu nosti ingenuam virtute puellam,
Vinciat eternum vt pronuba Iuno pares?
Gratulor, ac cœptis precor omnia leta secundis.
Crescat amor socius, vos geminetque Deo.
Fœdere connubij stabiles simul æthere seruet
Autor, & optatum concelebretur opus.

Christe,

Chrifte, precor iam nunc sine amico vota valere,
 Lætitiaque notent nubila nulla diem.
 Copula vera Deum flamma confirmet eadem,
 Natorum ac serie gaudia vestra beet.
 Cernis ut hac tæda sint prospera cuncta iugali,
 Ortus & occasus præcua signa vehant?
 Quid vaga sic iuuenes torquent tua munera Cypri?
 Legitimo præstat nonne nepote frui?
 Adsit hymen, hymenæe veni, symphonia concors
 Exhilaret cœtum, plectraque pulsa lyæ.
 Sis genero sælix Arnolde, tuumque vocato
 Phœbum, ut eat natæ mitis alumna soror.
 Pura fides, amor & castus, prudentia iungit
 Concordes, retinet cura, tuetur honos.
 Hybernum violas sit tempus, & arida nobis
 Iam flores tellus ferret, amata darem:
 Nec rosæ, nec myrthus deessent, non laurus odora:
 Nunc tibi quod possum mittere munus, habe.

Μισάν-

Μισάνθρωπος Τίμων.



ODERAT hic cunctos, nec se, nec amabat amicos,
 Μισῶν ἀνθρώπους nomina digna gerens.
 Hoc vitium, & morbus de bili nascitur atra,
 Anxiat hęc, curas suppeditatque graues.
 Quapropter cecidisse pro, fregisseque crura
 Fertur, & auxilium non petisse malo.
 Suauibus à sociis, & consuetudine dolci
 Qui se subducunt, vulnera seua ferunt.
 Conditio hęc misera est, tristes suspiria ducunt,
 Cumque nihil cause est, occubuisse velint.

*At tu dum poteris, noto sociere sodali,
Subleuet ut pressum, corque dolore vacet.
Quos nulla attingunt prorsus commercia, grato
Atque sodalitia, subsidiisque carent:
Aut Dii sunt proprii, aut falsus peruertit inanes
Sensus, ut hos stolidos, vanaque corda putes.
Tu verò tandem nobis dialectica sponte
Donata, in lucem mittito, si memor es.*

Voluptas



Voluptas ærumnosa.



QVI nimis exercet venatus, ac sine fine
 Haurit opes patrias, prodigit inque canes:
 Tantus amor vani, tantus furor usque recursat,
 Induat ut celeris cornua bina fer.e.
 Accidit Actæon tibi, qui cornutus ab ortu,
 A canibus proprius dilaceratus eras.
 Quam multos hodie, quos pascit odora canum vis,
 Venandi studium conficit, atque vorat.
 Seria ne ludis postponas, commoda damnis,
 Quod superest rerum sic ut egenus habe.
 Sæpe etiam propria qui interdum uxore relicta
 Deperit externas corniger ista luit.

Consue-

Consuetudo praua.



REBUS in humanis preposterâ opinio vulgi,
 Ac sequitur morem, quem semel obtinuit.
 Scindit enim panem ferro, quid mollius illo?
 Dentibus at duris frangit ab ore nuces.
 Ista quidem, fateor, sunt consuetudine facta,
 Si tamen excutias, quid nisi stultitia est?
 Noxia paulatim repunt, nec protinus omne
 Funditur in leso corpore virus atrox.

Insignia Mercurij quid?
Ad Adrianum Turnebum.




HÆC insignia nuncij Deorum
 Sunt, quem Maia tulit, citum & volucrum.
 Est caduceus anguiger, crumena,
 Cancer & lyra, vespa, gallus, ale,
 Hircus & canis, hæc notent quid audi:
 Promptus ingenio satis, memorque est.
 Prudentem eloquio, vagum, sagacem
 Et furem, vigilem, ille fraudulentum
 Dat rebus temerarium, ac seueris.

Hircus

Hircus vim eloquij monet stupendam,
Serpentes, lyra, pacis atque alumnus.
Ne damnis cumulet canis loquelam:
Reddat, est trutina, ut suum cuique:
Est ferrum, insidias necemque vitet:
Causis eloquio locus, foroque:
Punitur gladio scelus, nefasque.
Concors ut lyra, veritatis eius
Verba ut consona sint, loquantur apta.
Hæc Atlantiadis feruntur ortu
Natis munera parte non petenda.
His mercator habens opus fruatur.
Credo Mercurium præesse multis:
Namque hæc symbola habent suos sequaces,
Et possunt studiis simul dicari,
Quod Turnebe facis, tuos monesque.

I 2

Vira




Vita irrequieta.



I N D I A fert apodes, quas tantum sustinet aer,
 Nusquam considunt, perpetuo error agit.
 Parturiunt intra ventrem, si credere fas est,
 Ingens diuini muneris istud opus.
 Hic certent miras vates euoluere causas,
 Ne sileant, σοφίαν qui profitentur, habent.
 Qui requiete caret, curis nec edacibus vnquam
 Proficit, hunc auibus dic similem esse nouis.

Temporis

Temporis iactura. Ad pilulam.



PARVULA cur fallis iuvenes tua signa secutos ?

An reficis vires, munera num'ue refers ?

Retia dum volucrem faciunt, an viribus vsa

Tu proprius extra limina salua fugis ?

Mox inuenta places, iterumque redempta moueris,

Ac solita toies isque redisque via.

Aegris haud verita es certam spondere salutem,

Qua sanos priuas, inque furore noces.

Exhauris numos, aliena laude triumphas,

Conueniunt nugae, fictaque verba tibi.

Non haec lex olim pilulae, nec abusibus istis

Caupo tuam implebant atria trita manum.

Aut igitur sumptus minuas, & tempora multis

Restitue, aut nunquam sufferat aura leuem.

Dij cœpta secundant.



I N terram pila quæ iacitur conuisa resultat,
 Et leuat in medium se aëra, prona redit.
 Excipit hanc densis quæ apparet nubibus apta,
 In cælum & rapiunt conscia vota manus.
 In Superis quisquis solitus spem ponere curæ
 Audeat, en cœptis protinus astra fauent.

Simul

Simul & semel.



QVÆRITVR, & tantum iactatur lite perenni,
 Vtrum prius fuerit, grauis
 Incus, an duro qui verbere malleus illum
 Fatigat. Hanc discordiam,
 Nobis, quod caussis ignorat, prodit ineptum
 Vulgus, nec audit candidos.
 Quippe Deus menti nostræ simul indidit vsus,
 Poscebat illa cùm duo.
 Omnia momento potuit perfecta creare,
 Dedit & simul minutula.
 Non spacium, aut tempus tum partibus intercessit,
 Cor, hepar item copulat.
 Ne nimis hæc igitur curarum separet ardor,
 Non superet hæc opinio.

I. SAMBVCI
 Tempestiua profunt.
 Errico Memmio.



EXVVIVM Thirus deponit quolibet anno,
 Induitur pellem mox iterumque nouam.
 Hunc si persequeris, qua se solet exuere hora,
 Pellis, non manibus præda petita venit.
 Atque ita frustratus longas remeabis ad ades,
 Bestia theriacis nulla venena dabit.
 Vitile qui sequitur, discernat tempora, causas,
 Anni mille negant, hora quod vna tulit.
 Quidque suum poscit tempus, sunt munera Veris,
 Autumnii, atque hyemis, fit vicibusque calor.
 Colchica Ver, Aestas segetes, Autumne racemos
 Das, vrensque typhas Bruma regignit aquis.

Interdum

Interdum requiescendum.

Ad Petrum Ligorium.



EST cunctis requies tribuenda, nec omnibus labores
 Horis sunt repetendi, animus simul ocio leuandus.
 Sic pingues oleæ sua pignora non ferunt quotannis,
 Alternis sed, & arua noualia per vices quiescunt.
 Nil durare potest sine commoditatibus remissis.
 Arcum si nimium, subitoque velis, diuque tensum,
 Frangetur, feret haud alias volucres, dein sagittas.
 Laxes nec nimium tamen, ocia plurimum nocere
 Quippe solent, faciuntque habiles minus vsibus seueris.
 Ergo est optima tēperies, mediumque vtrinque ductum.

Nullum malum solum : vel,
Vno bono sublato, mille existunt.



HERCVLEIS quanquã manibus fortissima quæque
 Monstra, truces, domitæ atque occubere feræ:
 Nil tamen inuictum toties vexavit vt hydra,
 Cuius ab abscisso vertice creuit opus.
 Quoque magis pestem ingulat, capita vndique collo
 Aucta renascuntur, cædeque monstra valent.
 Haud secus indignè quos iactant fata, malorum
 Augescit numerus, vim cumulatque dies.
 Vno si expediant miseri se, mille recurrunt

Damna,


*Damna, labore nouo pristinus estque minor.
De illis hoc quoque dic, quos inuida sustulit ætas:
Vno omnes cupiunt pro Cicerone loqui.
Vel quos exercent lites, ac iudicis ira:
Vna ubi finita est caussa, decem redeunt.*

Neglecta



Neglecta virescunt.

Ad Hadrian. Iunium, medicum clarissimum.




Vt scandit muros hederam, & latè petit altum,
 Sit neglecta licet, nulla manusque colat:
 Sic multos videas odium quos pressit iniquè,
 Virtutem in primo constituisse gradu.
 Tandem sponte virent, alit & prudentia dignos,
 Ut serpens hederam non sinit, inque habitat.
 Ingenij semper florebis laude per orbem,
 Sis licet Harlemi, tuque latèere velis.
 Largius effundet subito se gratia Regum:

Οὐκ ἐπιπῶνα volet plena fouere manus.
 Inuida quid cogis pia pectora ferre voluntas?
 Num reficis pulsa tu probitate sitim?
 Nónne magis crucias te ipsam dum rebus opimis
 Macrior alterius fis, necat esuries?
 Obscurum hæc eadem momum, clathrisque remotum,
 Te sequiturque simul Zoile pœna grauis.

Grammat.



Grammat. Dial. Rhetor. Historiæ differentia.
Ad Carolum Sigonium.



SVNT tres præstantes diuersa veste Puellæ,
 Nituntur hæ puellula vt crepidine.
 Simplex historia est, lux, custos temporis, atque
 Veri parens, quæ gloriam tribuit bonis.
 Gratia non ducit, propriis affectibus obstat:
 Nil iudicans, alios reliquit iudices.
 Ordine simpliciter geritur quod narrat ab ouo,
 Hanc ponè Rhetorica est sequens loquacior.

Quæ coram recitat sæcundas iudice lites,
 Vestita longo firmate atque obambulat.
 Et studet effictò lucrari schemate caussas,
 Dum se venustis venditat coloribus.
 Quòd manibus tantum planis, longa & petit hasta:
 Premendo nil vrgens suaviter liget.
 Aspera, non habitu sequitur Dialectica culto,
 Sagaciter verum eruens puteo abditum.
 Cominus adgreditur, victum & complexibus arctat,
 Nunquam remittere iure de suo volens.
 Nam pungit, laqueo & captat, ratione regitque,
 Trux vinculo illigat potenter anxio.
 Assimilata fuit variæ quoque lumine Phœbi,
 His sed parum iuuabere absque grammatis.
 Illa etenim solidi sunt fundamenta laboris,
 Grammaticæ iners statuet nihil perenniter.
 Historia vt canis alatus, Rhetorque Chimæra,
 Sphynx Logice, tenet hæc Virgo, columna teres.

Pulchritu-



I. SAMBVCI
Pulchritudo vincit.

Ex Anacreonte.



NATVRA cornua addidit
 Tauro, vngulas equis'ue,
 Cursu lepus perennis,
 Dentes patent Leonis,
 Pisces natate iussit,
 Valent aues volatu.
 Nil foemina restabat.
 Concessit at loco horum
 Formam, placere possit
 Qua, vincere & seueros
 Ignes, acuta tela.
 Tantum potest venustas.

Tardè

Tardè venire bubulci.



TARDVS Strephiades fuerit miser ad dolos notādos,
 Queis possit eluisse creditores.
 His nam debuerat iuuenis magis artibus vacare,
 Densis nec ista nubibus scrutari.
 Res si digna foret studiis, labor omnibus locatur
 Aetatibus rectè, nec improbarem.
 Sed fraudesque dolosque senem meditari ineptius nil.
 Ridetur, & fit fabula impotenter.
 Dulces ergo sciat fatuus benè moribus dicare
 Dum tempus, etus apta fertque, natos.

K

Discors


Imprudens facinus.



INSIDIIS captat mures, sequiturque nocentes
 Triticeo felis pellat vt à cumulo.
 Fecit at interdum furem malestrada Cupido,
 Murmure sed furtum prodidit ipse suum.
 Non minus ingenio vicium, quàm recta teguntur :
 In cruce supplicium non benè cautus habet.
 Illicite & quamuis lateant nos sepè rapinæ,
 Serior at duplici pœna dolenda venit.

Tolc-

Tolerantia.




FORTIS in aduersis animo non frangitur alto:
 Sed contra semper promptius ire parat.
 Crescit, & obdurat, iuuat indulgere labori,
 Pascitur hic laesis, vincula nulla timet.
 Aureus ut foliis & lento vimine ramus
 Auulsus simili pignore, fronde redit.
 Non minor & mens fit varijs exercita curis,
 Quoue magis demis copia maior erit.
 Augefcunt, non franguntur diuina labore:
 Res hominum absomit, perficit illa labor.

K 2

Persei

Perfei fabula.



PERSEVS Gorgonis abscidisse fertur
 Palladis clypeo caput tremendum,
 Equo & præcipiti procul tulisse.
 Qui se delitiis libidinosus
 Dicarunt, gelidi rigent sopore,
 Membra & humidiora pituita
 Facta post studiis parùm Mineruæ
 Sunt apti, ac remorantur aptiores.
 Hæc tu subsidio fauentis almæ
 Vinces Palladis anxio, & labore

Doctri-

Doctrinamque plagas feret per omnes,
 Et sparget decus eruditionis
 Latè alatus equus, vehet perenne
 Fama nomen & orbe, posterisque.
 Stratam Mœonides quoque à Minerva
 Prodidit Venerem, ac humi volutam.
 Hæc sunt persica que tulit Mycenis
 Pignus perpetuum sui relinquens.
 Vel sic : res benè fortiterque geste
 Scriptores pariunt bonos, aluntque.

K 3

Phyfica





NATVRA exercet teclis indagine rebus
 Mentem, ne cuius cognita mox pateat.
 Nempe parens sese vestiuit nubibus atris,
 Sollicita vt fœtus cuncta requirat ope.
 Id studium præstat, vigil & solertia tandem :
 Sit quadruplex mundi quôdue reuelat opus.
 Huius alumna sed est praxis, mandata capeffens
 Notitiæ, ac licitis vsibus apta nitet.
 Socratis hæc placuit studio, quid enim sine reclis
 Profuit exemplis Philosophia vetus ?
 Hæc sterilem nutrit Platanum, dat mitia poma
 Altera, queis oculos aridum & os reficis.
 Viuimus in dubiis, breuis est & vita, sodalis,
 Occupet hanc prudens vtilitate morum.



CORNVA qui tendit, volucres iraque sagittas
Mittere in aduersum nititur exitium :
Altera pars agrè cedit, durissima chorda est,
Laxa nec infractum sternere tela queunt.
Assistens quidam è sociis animum addidit ausis,
Et monet arcum vti totum in sua vota trahat.
Perfer & obdura, reliqua dum parte sequatur,
Ille ait, hoc facimus, munera digna feret.
Commoda qui cupiunt cunctorum, audentque nefandum
Corripere, inuexit quod mala turba, scelus,
Auxilio adiuti diuino coepta remittunt
Haud leuiter, quamuis prepediatur opus.
Et mora nil animos frangit, sed firmat in omnes
Euentus : tales quid meruere Duces ?

Iudicium Paridis.



P R I A M I D E S iuuenis, quo non præstantior alter,
 Qui tenuit magni Troica sceptrâ senis :
 Pallados & Veneris formæ, Iunonis & olim
 Arbiter electus, talia verba tulit.
 Quamuis magna potes Iuno, coniunxq̃ue, sororq̃ue
 Illius excelsi qui iuga summa tenet :
 Non tamen his moueor, curæ mihi non tua dona :
 Haud referes formæ præmia digna tuæ.
 Frustra tu certare paras quoque Pallas amata,
 Ingenij quamuis gloria magna tui.

Namq̃ue

*Namque Venus Cytheræa placet, calor ossibus ardet,
 Munera iudicio nunc feret illa meo.
 Hoc igitur capias malum, quæ suavia reddis
 Pectora, quæque potes flectere cuncta Venus.
 In grauibus mihi sola dabis solatia curis,
 Te nihil in tanto firmitus orbe colam.*

Exegetis.

*Est adè Stygiis mens nostra immersa tenebris,
 Ut non quæ bona sint, quæ mala despiciat.
 Noxia quæque premunt homines caligine cecos,
 Iudicioque perit plurima turba suo.
 At reputes quæso Paridis tu semper amores,
 Cautius ut viuas, nec tua damna velis.*

K 5

Dum



Dum viuo profum.



EN quercus carie, & fulmine perdita,
 Trunco conspicior semper inutili :
 At non sèdula quicquam
 Imis negligo partibus.
 Nam dum vita mihi, sensus & infimus
 Nutrimenta sinit contrahere vndique,
 Nunquam desero suctum
 Alendi officium meum.
 Profum trunca, nouis frondibus, augeo
 Vestros ruriculae continuò ac focos.
 Quòd possum, licet .egra,

Vobis

*Vobis vertice largior.
Vellent si pariter nempè laboribus
Dum viuunt homines sollicitudine, &
Hæc mortalia, vires
Infimæ licet, exequi :
Longè esset melior rebus in arduis
Cunctorum ratio, prospero & athere
Nostris afforet ausis
Cælo qui sedet alto.*

Apta



I. SAMBUCI
 Apta recipiunt.
 Carolo Clusio.



ROBORA quò puteis, fluvioque diutius insunt,
 Ad lapidum magis hoc diriguere modum.
 Paucis id natura dedit contraria lignis,
 Cetera dumque natant, humida facta putrent.
 Multis malua grauis, quos vix testacea ledunt,
 Mœsta cothurnici nilque cicuta nocet.
 In medico non est semper sanetur ut aeger,
 Forma que naturam suscipientis habet.
 Thersites nunquam in varium mutatur Vlysses,
 Margites nec adit fortis Achillis opus.
 Psittacus est docilis, bos lentus, pegasus acer :
 Quolibet è trunco fac mihi Mercurium.

Felicitas indigna, vel superflua.



SPONTE' vomunt celsa dominis super aspera molles
 Serica vermiculi, crescere cuncta putes.
 Non alitur foliis, nec fotu, sed sine cura
 Tam leue quod cernis pendulus vrget opus.
 Has cuperem messes, hæc gloria ruris adesset,
 Mox ego ditarer, milia multa darem.
 Hæc fortunatis nimium sed contigit arbos,
 Cùm grauat ignauos cura paterna bonis.
 Vel fors quos tabulis hæredes grata supremis
 Scribit, auetque suo mortuus esse loco.
 Mi satis est aliquid duro peperisse labore:
 Prædia quæ veniunt sorte, pericla vehunt.

Conscia

Confcia conditio.



EST homines inter proprium discrimen honoris,
 Hic herus imperitat, seruus at ille iacet.
 Hanc natura tulit legem mortalibus equam,
 Ingenio magnos vt colat inferior.
 Et metus, occulta & cohibet reuerentia seruos,
 His offensa dolet, nec temerant dominos.
 Quosque Scythæ reduces armis superare nequibant,
 Fustes, lora fugant, verberibusque domant.
 Sic volucres aquilam, quadrupes timet vsque leonem.
 Maiestas animis ingerit obsequium.

Curis

Curis tabescimus omnes.
Ad Ioan. Hartungum, &c.



VESUVIUS ardentem dum moles spirat in auras,
 Faucibus accurrens Plinius obstupuit.
 Dumque nimis caussas scrutatur, forte vorago,
 Et circum exusti corripuere loci.
 Debuerat mortis Siculi memor esse poeta,
 Qui dedit Aetneis frigida membra focus.
 Incidit heu quantus, propius spectacula rerum!
 Dumque fidem querit, materiam ipse fouet.
 Num hic quoque Cyclopes formabant, Iuppiter, arma,
 Ignibus, aut incus verberare quassa sonat?
 Error quisque suus, nimium quos cura lacepsit,
 Et nisi consumit sollicitudo bonos.


Publica

Publica priuatis potiora.



QVEM pietas ducit patriæ, & per secula nomen,
 Cui populus curæ, bella salute regit :
 Hunc nihil absterret, ciues conseruat amatos,
 Ac litem propria vult, dirimit: que nece.
 Quàm se se gessit Codrus, discrimen Athenis
 Quàm graue seruili conditione leuat ?
 Curtius vt vocem diuûm, monitusque redemit,
 Sic Dores contrà deuouet hic animam.
 Egregiam laudem tulit alter, funere Codrus
 Sed maiora dedit, quò magè certus erat.

Mathiæ Coruini Symbolum,
Symbolo Ioan. Regis auctum.



VT lupa non proprios, alienos sed quoque foetus
 Vbere nutriuit, Roma, tibi vnde duces:
 Sic rex Mathias Hunnorum maximus author
 Dum superat cunctos, ingeniosa fouet.
 Huus ad imperium concursus totius Orbis
 Et fuit inuicto principe dignus honos.
 Vndique cogebat veterum monimenta, superstes
 Quo foret authorum fama, decensque labor.
 Contudit indomitos vel solo nomine Thracas,

L

Et

Et pauidos multo sanguine fudit humi.
 Pannoniæ infestæ quis non metuebat habenas?
 Tum Venetum supplex factus & ipse leo est.
 Gryphe nec inferior sacer & tunc coruus Apollo
 Est habitus, presso gutture suaue canens,
 O vtinam in regnum qui successere, triumphos
 Conciperent animo, claraque facta ducis :
 Sæua sed internis cesset discordia rebus,
 Et proceres concors sensus in arma vocet.
 Quod nisi iam fiat te Maxmiliane tenente
 Iura, salus nulla est post reditura die.
 Qui memor illius Geticum moliris in hostem
 Arma, nec impensis bibliotheca minor.
 Quæ propter laudes repetet bene grata vetustas,
 Nec minor inceptis gloria semper erit.



Alterius indigens perpetua ope.

Adamo Fumanno.




ALTERIVS semper vigili qui cogitur vti
 Consilio, & monitis, rebus nec prospicit vltro;
 Hunc similem pinnæ dixit laudanda vetustus.
 Namque illa esuriens conchas distendit hiantes;
 Pisciculos pote sit, prædam & cumulare natantem.
 Verum ignara nihil sentit, nec claudit habendo
 Escas, ni moueat rostro cancellus acuto;
 Comprimat vt subito prædam communiter aptam.
 Optimus est propriis qui rebus prouidet ipse,
 Nec temnendus erit, si audit quos poscit amicos.
 Exosum cunctis fugias, qui spernit vtrumque.

L 2

Fidei

Fidei canum exemplum.



SIT quanta odori vis canis,
 Et quæ fides erga suos
 Heros, monere quos vides
 Possunt mei canes duo,
 Bombo cui nomen dedi,
 Matri & Madel simillimæ.
 Hi me sequuntur per mare,
 Terras per, & cunctos locos.
 Hos Gallia alumnos tulit,
 Videre Romam nescij,
 Νεάν τε καὶ καλὴν πόλιν,


*Et Teutonæ terræ procul
Partem quæ habetur optima.
Belgas peragrarunt simul,
Ducentur & spero breui
Dulcem in vocantem & patriam.
Merentur hi famam canes.
Sensus inesse cur neges
His bestiis sequacibus?*

L 3

Precio-



Preciosum quod vtile.
Ad Achillem Maphæum.



MVLT A solent homines precio dignarier alto,
 Rara, quod & longis aduehat vnda locis.
 Vana superstio, communi dignaque risu,
 Hoc rarum cornu sed probat vtilitas.
 Nam quibus est animus poclis miscere venena,
 Omne malum præsens hæc medicina vetat.
 Regum thesauros ornat, preciumque rependit:
 Hi sumptus laudem non meruere leuem.

Tirna-

Tirnaviæ patriæ meæ arma.



V R B S est Pannonicis fama inçlyta, libera regnis,
 Tirnaviam vulgus nomine, reque vocat.
 Bela etenim Regum ditissimus vndique cinxit
 Moenibus, ac densam turribus excoluit.
 Hæc me produxit, lucemque videre serenam,
 Vitalesque haustus dulcis alumna dedit.
 Huic rota pro insigni, cælestis vtrunque tuetur
 Nuncius, & Christo præside tuta manet.
 Utque nihil certum in nostris sine numine rebus,
 Sic rota, ni firmes, voluitur instabilis.

L 4

Hactenus


*Haftenus hæc contra seuiſſima fata Getarum,
Fortiter hostiles se apposuitque manus.
Messibus, & diues Baccho, mercator abundat,
Armis iure potens, clara Deùmque metu.
Hanc saluam longos tueatur Christus in annos,
Thuyricus hic furor & diminuatur honos.*

Heroës





Heroës diuini.



EST Ducibus præsto Diuûm præsentia, cuius
 Consilio, & nutu prosperiora gerunt.
 Non ruit imprudens aduersos semper in hostes,
 Sed cauet, occultis & manifesta notat.
 Aeneas quoties vmbriis subducitur, inque
 Prælia seruatur, dum sua fata sinunt?
 Ardua res cautè geritur, tibi, Turne, fugacem
 Id facit Aeneam, at Iuppiter hostis erat.

L 5

Stu-

Studium & labor vincit.
 Ioan. Baptista Pignæ Ferrar.



EST vas quod capitur, rite iuuans auriculis suis.
 Ansam sed cupiunt solliciti prendere dextram
 Fortes, atque alacres quos remouent nulla pericula.
 Leuam sed pueri, desidiosos, ingenio ac pigri
 Prensant, atque senes qui fugiunt sepe molestias.
 Res cunctæ duplici, vera fides, aggredimur modo.
 Nam quos ardor agit, vel stimulus laudis, habent manus
 Promptas, queis que velint adiiciunt serio non leues.
 Pert. esi studij, quos ue labor durior opprimit,

Ansam

*Ansam non superant, & fugiunt sollicitudines.
 Victores igitur quos pepulit non labor, aut onus
 Fortes vtilitas quippe manet, dedecus & pigros.
 Alphonfus meritò præcipuis te ornat honoribus,
 Secretisque suis præposuit Pigna negotiis.
 Sed tu Piëriam propterea ne abiicito lyram,
 Quæ te tot cumulat muneribus, contulit hoc decus.*

Volu-



Voluptatis triumphus.



QVI currus trahitur ceu domitis equis,
 Et quo grata voluptas sedet, & penes
 Illam quas comites semper habet suas,
 Naturam illius innuunt.

Est duplex etenim, suavis, & improba,
 Monstrat leua manus commoda quæ vehat
 Hæc, quæ dextra ferat cernis & obuiam.
 Albo hæc, illa nigro est equo.

Leuam vina, venus, sepe etiam dolor,
 Et facti comes est quem quoque pœnitet.

Saltan-

*Saltantem stimulo promouet, & puer
Cecus curat equum nigrum.*

*Sed castæ socij, sunt bona publica,
Virtutes celebres, gloria, candidi
Lenti auriga, & equi concomitans honor.
Dotes appositas habent.*


*Tu quicumque sapis, delige dexteram,
Ac læuam fugito, præmia sunt enim
Aeterna illius, ast huius ab omnibus
Detestanda bono, & pio.*

Dulcia





Dulcia cum amaris.



EST vetus, & cunctis iactata parcemia vulgò,
 In damnis aliquid semper inesse boni.
 Id quoque testatur series æterna globorum,
 Binos namque malos qui moderetur adest.
 Hanc quoque temperiem suavissima Musica servat,
 Lenior ut voces condiat vna graves.
 Ordo Planetarum quibus est, & cognita virtus,
 Hæc norunt, præsens atque figura monet.

Planetæ


Planetæ.

*Annis triginta Saturnus conficit Orbem.
Iuppiter assequitur bisseis, Marsque duobus.
Sol vno, tercentis quadraginta diebus
Mercurius, Cytheræa nouem cupit addier istis.
At vaga signiferum Luna omni mense pererrat.*

Tori



Tori reuerentia.



TANTA fuit multis sacri reuerentia lecti,
 Vt dicas nullo concubuisse toro.
 Nam post somniferæ surgentes munia noctis,
 Mane recens pressos obuolüere locos,
 Indicio ne essent vestigia corporis, atque
 Connubio reliquis maior adesset honos.
 Candaules pereat forma deceptus amate
 Coniugis, audet enim prostituisse Gygi.
 Quantò nos, gerimus qui Christi nomina, castos
 Atque verecundos conuenit esse magis?

Frontis

Frontis nulla fides.
Achilli Statio Lusitano.



CVNCTIS Deus creauit
 Quaecunque terra, & vndis,
 Signum dedit, pateret
 Natura singulorum vt.
 Latratibus canis sic
 Suae indicem dat iræ.
 Taurus monet furorem
 Quòd cornuis petendo
 Lædat, venena caudis
 Serpens gerit, timendus

M


Et

Et scorpheus caetur.
 Est nuda frons, sed index
 Mortalibus negatus,
 Vt nosse quis bonus sit
 Nequeas, tibi à maloque
 Dum tempus est cauere.
 Dextra tenet tabellam
 Rasam, notis nec vllis
 Insignem, amicus vt sit
 Qualis tuus, colis quem
 Tot sedulus per annos.
 Scribas mihi potes si,
 Num candidè, dolo ne
 Tecum egit, at recusàs.

Dege-



Degeneres.



NIL habeo præter formam testudinis aptæ,
 Atque sinu tueor fila canora meo.
 Nulla mihi vox est, non chordæ, nullus honosque,
 Muta sed assimulor, credita dona tego.
 Saltem aliqua ornasset miseram me voce Magister,
 Ne rupta in flammis turpiter abiicerer.
 Degeneres qui sunt, modo avitaque stemmata iactant,
 Vmbra maiorum nobilitate gerunt.
 Nobilis ex virtute suos sectatur honores,
 Et proprium factis querit habere decus.
 Annulus effigie insignis, vultuque paterno
 Detrahitur digito non male scipiadis.


Tyrannus.



REGIA qui solus moderatur sceptrum Tyrannus,
 Parendum est quidquid stulta libido iubet.
 Ni facias cogit causam, dextramque minacem
 Opponens, misera sustulit atque nece.
 Ut leo rugitu crudeles iniicit unguis,
 Sanguine tibi sic seue Monarcha manus.
 Utque vorax passim rapit obuia quæque silurus,
 Mitior haud diris Regibus est animus.
 Cuncta premit nutu, subigit, simul astra requirit,
 Letitiæ causas corripit in gemitus.
 Quod libet, usque licet, sua pro ratione voluntas :
 Iudice me tabes pallidus orcus habet.

Diuina

Diuina humanis non temere miscenda.



SCRIBVNT Deos, qui more hominum pios
 Lugere, coenas lautaque prandia
 Sequi, timere quod doletque:
 Nulla fides tribuenda fictis,
 Vani poëtae talia prædicant.
 Deum seueris isti & honoribus
 Priuant, Polis terrena miscent,
 Pœna sed hos rapiet luenda.
 Diuina præstat viribus infimis
 Adiungier, nam conueniunt magis.
 Rectè Plato cæcum refutat
 Ergo suum sapiens Homerum.

Virtute duce.

Ad Barth. Marantham.



NATURÆ cecos qui norunt soluere nodos,
 Et caussas querunt, cuncta notare solent.
 Hi flammam dicunt accensum lumine fumum,
 Res etiam expertis sepe probata viris.
 Natos in stabulo, obscurisque parentibus ortos
 Dic fumum, virtus quos facit Orbe cani.
 Hos lux nobilitat, dignis & honoribus auget,
 Sic clarent, tenebras qui pepulere domus.

Canis

Canis queritur nimium nocere.




NON ego furaces nec apros insector & vrsos,
 Applaudit nec hero blandula caussa suo :
 Sub iuga sed mittor validus, traho & esseda collo,
 Quæque leuant alios viribus vsque premor.
 Per vicos ductum me alij latratibus vrgent,
 Miratur casus libera turba meos.
 Quàm fueram charus dominæ, si paruulus essem,
 Non mensa, lecto nec caruisse velim.
 Sic multis vires, & opes nocuere superbæ :
 Contentum modico & profuit esse statu.

M 4 Nusquam

I. SAMBUCCI
Nusquam tuta fides.


Ad Petrum Sambukij parentem suum.



DVM rigidos artus elephas, dum membra quiete
 subleuat, assuetis nititur arboribus:
 Quas ubi venator didicit, succidit ab imo,
 Paulatim vt recubans belua mole ruat.
 Tam leuiter capitur duri qui in prælia Martis
 Arma, viros, turrim, tergore vectat opes.
 Nusquam tuta fides, nimium ne crede quieti,
 Sæpius & tutis decipere locis.
 Hippemenes pomis Schœneïda vicit amatam,
 Sic Peliam natis Colchis acerba necat.
 Sic nos decipiunt dedimus quibus omnia nostra:
 Saltem conantur deficiente fide.

Alchi.

Alchimiaë vanitas.




PERPETV ò sudat cur Carbonavius iste?
 Dissociare igni vt mixta elementa queat.
 Cur quod nusquam extat, fuit aut essentia quinta
 Hanc pretio querit, sollicitatque focus?
 Hoc stolidum mandat pectus, nec sana voluntus,
 Quid referet lucri? viuat vt inde stipe.
 Quæ miseros hominum cepit dementia sensus,
 Incerta vt certis sint redimenda bonis?
 Spem pretio nunquam tibi pollicearis egenam,
 Soluitur in fumum quidquid ineptus agit.

M 5

Expe-

Expediens impediior Bombyx.



D O N E C oberatum expedio, ditesque labore
 Pendulus efficio, me impedit istud opus.
 Inuoluor Bombyx opere, infelixque morando
 Commorior, sobolem semine linquo tamen.
 Hec ignara mali sequitur quoque fata suorum,
 Nullus enim ob lucrum est qui monuisse velit.
 Tantus amor pensi, tantum vos serica nostra
 Delectant, vite parcere nemo potest.
 Res nimium dura est multos seruire per annos,
 Nec retulisse lucrum, se implicitumque mori.

Æqui-

Æquitas.




P R I N C I P I S officium scire est, iuris que periti,
 Quid iubeant leges, conueniatque simul.
 Lynceus est oculus iuris, sed prominet alter
 Turbidus, ut rigidum temperet arbitriis.
 Non nimis attentum Respublica, nonue remissum
 Exigit, in medio ius, venieque placent.
 Tum gladius rectè prudens dominabitur Orbi:
 Cuius ab ancipiti vita cruore datur.

Discors



Discors concordia.




QVAMVIS sit rerum dispar natura, minusque
 Conueniant, subigit, iungit & arte modus.
 Quae magis diuersa inter se virtute resistunt
 Antidotus quam quae theriacalis habet?
 Hec tamen ars miscet, tandem & rediguntur in vnum,
 Vnius vt nomen post medicina gerat.
 Pestiferam illa arcet tabem, insectosque tuetur:
 Excitat optato frigida membra tono.

Pro

Pro ignotis sumere laborem.

Georgio Tanner.



REBUS pro minimis seu pericula
 Stultum est suscipere, & consequier decus
 Nullum pro dubiis nempe negotiis.
 Graij cur Helenam precipites velint
 Conductam in patriam quam tulit Ilium?
 Paucis visa fuit, libera nec foret
 Vllis cognita qui lustra terunt duo.
 Pro picta poterunt nec sibi conscia
 Annos tot leuiter sumere sponsula.

*At nos in grauibus quod superest breuis
Ocij, non studio gloriolæ leuis
Ponamus, patriæ rebus & asperis
Totos ingenio, ritè laboribus
Donemus: recinet posteritas bona
Famam, sic modica & vita erit utilis.*

Anti-



Antiquitatis studium.
Ad G. Schirletum.




OMNIA consumit tempus, longamque senectam
 Quid videt artifices quod peperere manus?
 Imperio satum eripuit monumenta, vetustas
 Ne quid duraret, conficcretque suus.
 Nunc Deus in frugem veterum virtute probatam
 Ut vocet en monstrat marmora, Roma, tibi.
 Effodiuntur opes irritamenta bonorum,
 Nec poterit nummos vlla abolere dies.
 Aerea testantur fuerint quibus aurea secla,
 Multorumque monent quae tacere libri.

Ceden-

Cedendum, sed non adulandum.

Ad Nicolaum Iſtuaniſi. &c.



FATALI, & grauibus premitur quando leo morbis,
 Simia proiicitur, hæc medicina mali est.
 Inuidia afflictoſ, ſcelerata & mente Tyrannos,
 Cur non ſic ludas, ſimiolaque leues?
 Hæc ſimulat cuncta, atque imitatur, ludere nouit,
 Hoc morbo ægrotis conuenit iſta fames.
 Sed tamen hiſ ultra metam placuiſſe caucto
 Peſtis adulator, morsque inimica fiet.
 Aulis dum ſequeris ne te peruertat abuſus,
 Sit tenuis que licet, ſed bona ſimplicitas.

Sola

Sola culpa præstanda.

De Antiphonte poëta à Dionysio damnato.

NVLLIVS sceleris qui conscius esse putatur,
 Cur fugiat mortem? funere maior erit.
 Namque bonus culpam si præstitit, omnia soluit,
 Sunt reliqua exigui temporis, acta fluunt.
 Labe igitur vacuus vates, quem seua tyrannis
 Supplicio addixit, corripuit socios:
 Qui faciem vt fontes velabant: Quid pudet huius,
 Cras ne quis videat forte timetis, ait?
 Prætereunt hora crudelia iussa tyranni,
 Morte breui longam cur vereare diem?
 Tantus amor veri, tantum sibi conscia virtus
 Fidit, & oblitum non sinit esse sui.
 Socratis en quantum se mors diffudit in æuum,
 Solamenque mali noxia nulla grauens.

Epitaphium Lotichij S.



QVIS situs hac urna? Vates, medicusque salubris
 Lotichius, nomen cuius in orbe viget.
 Nemo hunc Stigelio celebri, cultoque Sabino
 Posthabuit, poterat quos superare breui.
 Qui fluuij cessant, quid olor, tristes'ue puellæ?
 Quid circum lauri, quid medioque senex?
 Gallia, Pierides, Germania, Tybridis vnda,
 Hunc Phœbo & desles nate, siletque melos.
 Arcus quid pluuius superest? Hoc fœdus amicum
 Vesteque

Vesteque res hominum versicolore notat,
 Sollicitos iuuenis bello, Musisque labores
 Hic peregrè, casus sustinuitque graues.
 Post ubi sedatam patriam, mitesque sorores
 Aonidum sensit, dat Medicina locum.
 Quid tellus, mare, cælum, aër, quid lucidus ignis
 Continet, hunc meritò quod latuisse putes?
 Occidit heu properè: at vitam monumenta coeuanam
 Authori reddunt, posteritasque memor.
 Hæc doctus lauro cineres tege, care viator:
 Dicque vale, iunget nos rediniua cohors.

N 2

Fides




In delectu copia.¹

Marco Laurino Brugenfi.



ASSIDET in viridi, tot picto & floribus lorio
 Virgo puellares inter habenda deas.
 Cumque nihil desit, dubitat textura corollam,
 Delectus florum quippe moratur opus.
 Huc illuc spectat, mens est ignara decenter
 Quæ inferat, aut demat, misceat apta loco.
 Quid sine iudicio prodest habuisse tot auri
 Pondera, ni videas queis tribuisse licet?
 Vera loquor, quot sunt inopes quos copia fecit,
 Sumere dum metuunt, inque inhonora locant?



AEDI BV S his valvæ geminæ, quarum altera cultus
Immittit partes, donaque portat hero.
Alterâ sed vacuos ad sedem ducit inanem,
Clauditur illa inopi, muneribusque patet.
Has procerum clausas Musis nunc repperis ædes,
Et sensus Domini porta bivalua gerit,
Desine mirari, cur secula nostra poetâs
Tam raros habeant, nil dat auara manus.
Si Mæcenates fuerint, Flacci, atque Marones
Existant, grandi bella tubaque canent.
Exulat ingratum carmen, facundia passim
Temnitur, & cultis artibus aula caret,
Potiores bibuli nunc prima sedilia, honores,
Et cyathos gnari vertere, cuncta tenent.

Fictus amicus.



CUR mihi blandiris vulpina veste sodalis?
 Quid toties priscam fingis amicitiam?
 Odisti dudum, nil credo, dextera fallit,
 Et didicit caudam flectere leua manus.
 In syluis æquè non latro terret opacis,
 Quàm simulata fides, subdole & insidie.
 Qui me persequitur, vulgoque minatur in armis,
 Munio me contra, cingor & ense latus.
 Sed quos cæcum odium vexat, nec aperta voluntas,
 Vix magna effugias sedulitate malum.

Tempe-

Tempestiuè cauendum cuique ætati.




DVM tibi sunt vires, iuuenilia pectora, disce,
 Teque operi gnauus nocte, dieque para.
 Quod semel elapsum est, nunquam reuocatur in ortus,
 Tempus, id exigimus more fluentis aque.
 Ni tibi sint messes æstiuæ, frigora ledent:
 Ni studeas iuuenis, pauca senecta feret.
 Ostrea sic noctu pascuntur, pinguis Phœbe
 Et fiunt plena, temporibusque cauent.
 Nudus ara, fere nudus, hyems ignaua colono,
 Formicisque minus dedecus est sapere.

N 4

In

In labore fructus.



V T Palamedis aues lapis, & concordia iungit,
 Excubiis dignum rostraque munus habent.
 Hoc gentilicij Sambuco schema dedere,
 Aeternum vt studiis proferat Orbe decus,
 Est bicolor supra rosa flore decentior omni,
 Afflet vt ornatam suauior aura domum,
 Et vigili, & forti cedit victoria laudem,
 Quae placidis semper moribus equa venit.

Amicitia

Ad Octavianum Ferrarium Mediolanensem.



*SI speculo desit plumbum, quo reddere formas
Et splendore solet cuncta referre suo:
Quid vacuum inspexisse iuuat, labor omnis inanis,
Dum penetrant radij, nullaque imago datur.
Haud secus est quoddam genus ad lucrosa paratum,
Quod petit, ac repetit, gratia nulla tamen.
Accipiunt quicquid donas, vestigia nusquam
Cernas, officium queis meminisse velint,
Debet amicitia iuncti par esse voluntas,
Huius imago tua est, ni sit inanis amor.
Hoc quis te melius nouit, testatur amicis
Ferrari, qui me diligis usque memor?*

N 5

Simile

Simile à simili non læditur.



EST quibus in furivus animus, dentesque paratus,
 Morsibus haud inter se appetiere canes.
 Semper et imbelles mordent, quos cedere vires,
 Aut anni cogunt, ut superare queant.
 Pirata raro sese, prædoque latrones
 Offendit, metuunt conditione pari.
 Crescit at in duris virtus, maiora meretur,
 Abstinet à victis, inque superba ruit.

Sors ingeniosa.



SÆVA Magis quantum peperit discordia regnum,
 Venit in alterius sed leuiore manus.
 At nisi consensus firmasset sortis honores,
 Et dolus, hincitius nil potuisset equi.
 Seditio in dubium reuocasset sceptræ Darij,
 Atque trucidasset milia multa furor.
 Sit velata oculos præceps fortuna, rotaque
 Stet licet, in cunctis ingeniosa valent.

Cælum

Cælum, non animum mutant.




NON iter, aut cælum mores formare benignos,
 Sed natura solet, quæ moderata iubet.
 Multi quos mitis naturæ finxerat ordo
 Externis vitiant, se maculantque locis.
 Quodque nemus Tygres prohibet, saltusque leones,
 Post feritas maior quam fuit ante, venit.
 Laus est tot populos, mores, vidisse tot vrbes,
 Sed quis amat quam te cura paterna magis?
 Erudiet quis te, primis quam qui educat annis,
 Ut senij fias dulce prementis onus?

Nihil

Nihil negligendum.

Ad Ioan. Lifthium Secretarium Cæsar.



IMPULSA M ventis, & forti remige nauem
 Quis remoram dicat posse tenere mari?
 In minimis etiam vis est, mora quælibet ingens,
 Ni videas, præter spem remoratur opus.
 Quæ ausa est Actiacam subito tardare carinam
 Et prohibet cursus, parua echenéis erat.
 Nil igitur spernat, cui magna negotia cura,
 Qualia pisciculus semipedalis agit?

Intestinæ


Intestinae similtates.



QVÆ vires, regioque suis affligitur armis,
 In partesque trahit lis inimica domum:
 Paulatim absomit mala mens, discorsque voluntas,
 Equæ sinu existunt flamma, facesque simul.
 Quippe ignes teclis immissi incendia præbent,
 Mars furit ante fores, Mulciber intus agit.
 Omnia conflagrunt, nemo est qui tecta madore
 Occupet, exustis quique ministret aquas.
 Ignem igni, aut oleum potius dissensio iungit,
 Acrius ut foueat pabula, cuncta ruant.
 Pace frui qui vult florenti, seque, suosque:

Amoueat

*Amoveat propriis iurgia dira focis.
 Nulla adeo perimunt quàm quæ se mæsta venena
 Mutuo confodiunt, dixit Aristoteles.
 Obuiat his igitur prudentia, munit & arte
 Lethiferum vt pellat prompta salina malum.*



Periculum auctori nocens.



C E P E R A T exiguum nuper pirata phaselum,
 Et seruos quotquot prenderat esse iubet,
 Sed leue concessit stolido victoria lucrum,
 Prædaque piscator fit, dominusque minor.
 Nam dum capturam solitas vectabat ad oras,
 Aeolus aduersis vela repellit aquis.
 Titaniumque furor vinctos ad littus amicum
 Sistit, heri collo vt vincla soluta ferant.
 Mobilitas quanta est sortis, præcepsque volucrum,
 Quam subito auctori damna parata nocent.



Pœna sequens.



QVI furto abstulerat non paruo pondere carnes,
 Conijcit in sacco, collo onus inde leuans.
 Dumque fuga calat facinus, diuertit ad ædes
 Hospitis, & vacuat pocula larga sui.
 Corripitur somno defessus, donec inertem
 Strangulat appensum, sponteque punit onus.



Leuitas secura.



FLUCTIBVS immensis parua est iactata tabella,
 Sed leuitas tuto littore sistit onus.
 Altera difficili premitur dum pondere, cedens
 Nil vndis, fundum mox subitura petit.
 Vanus, adulator, mendax, variusque per orbem,
 Noxia declinat, dum leuis aura agitat.
 Sed quos relligio constans, moresque probati
 Inuidie obyciunt, prompta pericla vorant.

Defensio publica.



CUM subeunt leges, terrisq̄ue Astra relictis
 Euolat, an solis legibus vltor aget?
 Vindicibus num fas armis occurrere dextra,
 Qu.e capiti intentat dira pericla tuo?
 Iudice me quando potior sententia, visq̄ue
 Armorum est, subito publica tu arma cape.
 Ridiculus fueris si litera vertat in hostem,
 Codiceq̄ue armatum persequerere reum.
 Et licet, & semper licuit defendere nostra:
 Ritè magistratus vindicat, vltor adest.

I. SAMBUCI
Noctuæ cur Platano abigantur.

Natali de Comitibus.



EST pietas erga natos, σοφὴ τε ἀελαργός,
 Casibus aduersis prouidet undique amor.
 Hæc, quoniam insidiæ nocturnæ sepe diurnis
 Sunt magis obscuræ, peruigilare solet.
 Noctua cùm pullos cupit & remouere tenellos,
 Mox folijs Platani territa, & acta fugit.
 Sed cur hanc tantùm fugiat si noctua, queris,
 Occultam præter, caussa subesse potest.

Est

*Est sterilis, quare semper contraria nocti,
 Proli nocte operam quippe subinde damus,
 Vel quia nox studijs tribui melioribus aptè
 Debet, quò utilitas digna sequatur opus.
 Noctua cornicis pœnam, lumenque veretur;
 Dum media illius surripit ona die.*

O 3

Oux



Οὐκ ἔστι μιάσματος γῆρας.

Ad Petrum Ramum.



CÆLICOLVM *Aeneas regi dum in littore maclat*
Taurum, aras viridi fronde operitque Deo.
Vellit humo virgulta, sed hæc, mirabile dictu,
Emittunt guttas sanguinis, omen habent.
Thræicij regis facinus, Polydore, sepulchrum,
Omnes quod latuit, detegiturque tuum.
Quod scelus est vnquam commissum, que loca, tempus
Id reticent: tandem quin patefiat opus ?

Si taceant cuncti, lapides, sylvæque loquuntur :

En cædem in pœnas virga cruore vocat.

Hospitium Macareus violarat cæde sacerdos,

Pœna sed in natos mox recidiua fuit.

Ob scelus inuisi, quos versat praua voluntas,

Et toties mutat, quid probitatis habent ?

Horrenda insequitur furiarum & conscia pœna,

Cocytii æternum perluet vnda leues.

Non iure, aut lingua cedit Minois acumen,

Ante precor lapsis mens tamen vt redeat.

O 4

Prin-



Principum negligentia.



QUID Polyphemus habet? trunco vestigia firmat,
 Errat balantum grex, sequiturque ducem.
 Cecus at est custos, cui vino lumen ademptum,
 Solaturque nouum fistula rauca malum.
 Nonne hæc conueniunt nostri queis credita cura est,
 Princeps, seu pastor sit ratione carens?
 Delitiæ priuant quos cernis luce perenni,
 Suanibus ac hilares ocia rebus agunt.
 Heu cuncta in peius labuntur, fata suprema
 Nos captant, reliquus quis pietatis honos?

Quis-

Quisque suo sensu regitur, conscendit Olympum,
Nec monstrant gressus qui voluere duces.
Vnum Cyclopes oculum, sed fronte gerebant,
Aëre quò in medio fulgura prospicerent,
Ac superùm vates quæ essent ventura monerent,
Nunc Polypheme orbo lumine lumen eris?

O 5

Cura



Cura publica.

Petro Victorio.



OBSCVRAS penetro nubes, venatibus inſto
 Falco, ſed ærium non premit vlla ſitis.
 Non ego declino, cumulatq̃ue volatus honores,
 Aucupio mens eſt dedita tota ſuo.
 Contulit hoc natura diu, vt ſeruire per auras,
 Et præda dominos exhilarare queam.
 Nulla fames perdit mentem, iuga ſumma pererro,
 Nec mora, crede, orbis ſi peragrandus erit.

Hoc

*Hoc vtinam præstent, quos publica cura fatigat:
 In medium vt, sibi quàm, consuluisse velint.
 Tædia perpetuò superas, victoria nunquam,
 Quam peperit studium, est interitura tibi.
 Restituis veteres, ac donas luce sepultos,
 Hoc præstare vtinam te monitore queam.
 Non labor, aut sumptus desunt, sed viribus impar;
 Vmbra, si potero, consequar vsque tuam.*

Ordo.



Ordo.



EST via quæ potus, atque escas ducit in aluum,
 Est quoque quæ vitam suppetit aura leuem:
 Hos natura sagax discreuit ritè canales,
 Ut certas seruet quilibet ordo vices.
 Si mica, aut gutta infestet spiracula vitæ,
 Exoritur tussis, seu aq̄ue damna mouet.
 Ordine nil melius, nocuit confusio turbæ,
 Constare & numeris dixerat omne σοφός.

Ius

Ius & Philosophia.

Ad Aon. Palearium.

SERGIUS implicitas vicio, & seruire coactas
 Aedes vendiderat, quis cum Gratidius vltro
 Reddere venales statuisset, subticet eidem
 Seruitium, prior id quod norat herus, pretiumque
 Testaretur onus, sed fraudibus euocat emptor
 Auratam, & coram tractari iudice litem
 Exposcit, vicium siluit quod venditor illi.


Sed

Sed quid opus fuerat domino, auctoriq̄e subinde
 Significare malum expresse, qui conscius esset?
 Prôin Sophiam, rectorum & fundamenta professi
 Mentem, animumq̄; vident, agier bene & inter amicos
 Precipiunt, ius sed linguam factumq̄e recensent.
 Nititur externis potius, nec paruula lucrum
 Fraus dirimit, certis lites claudantur vt annis.
 Est sapiens igitur qui res intelligit altas,
 Et sibi quæ constant semper non obuia quæque:
 Consilium prudens variat sic rebus agendis,
 Et tractat sese multò re s inferiores.

Vir-



Virtutem honor sequitur.

Ad amplifs . Anthonium Verancium Episcopũ Agriensem.

MARCELLVS duo templa struit, virtutis, honorum.
 Hoc sed non patefit nisi pr.estes inclytus ausis,
 Vnica nam porta immittit, nec peruia cuius.
 Pr.eposuit templum virtutis, limina tanquam
 Alterius, quisnam leuiter tot premia laudis
 Consequitur, multum ni sudet, & algeat heros?
 Ardua virtutis primũ ergo semita, victa
 Molliter in suaues demum deducit honores.
 Horum sint memores, famam qui sorte perennem
 Exoptant, solidis seseque laboribus oruent.

E fisco

E fisco ne viscum:



THESAÛROS habeant reges, mille arua supersint,
 Vt prohibere queant vim, viciumque simul.
 Exornent iustos, sua præmia quisque reportet,
 Legibus ac vigeant scepra secunda suis.
 Sed fiscum cumulare nefas, nisi iure bonorum,
 Quamque premas siccam proijce spongiolam.
 Causa mali desit, Princeps procul absit auarus,
 In viscum ne abeat fiscus auaricie.
 Neu viciet mulctis stomachum, crudis nec alatur,
 Postremò sitiens ne exoriatur hydrops.



CUR nobis emimus, turba sumus stultitia leuis,
 Pulchras qui redament, coniugio moxque pecuniam
 Tantam conferimus, compedibus nos uti vinciant?
 Cur non consilio, ac arbitrio viuimus ut libet,
 Heremus domini, non socij, iudicio domi.
 Coniunx perpetuò, vana fides, militia rapi
 Sese peruigilem cum clypeo, & castra sequi docet.
 At nostra est ratio durior hac, conditio & minor,
 Nam præstat gladio vim pepulisse, haud superarier.
 Hæc posset meritò fœmineum verba genus loqui:
 Autor connubij, sollicitè qui instituit, Deus
 Ni mandasset; eat fœmineus sub iuga coniugis
 Cætus, subijciat se capiti & membra velut suo.

Consciū ipse sibi.



QVEM regium vexat malum,
 Et bilis occupavit externam cutim,
 Citrinus vt totus fiet.
 Oculos color suffundit idem, & impedit,
 Vt quicquid aspicias, tibi
 Videatur omne auri colorem habere, nec
 Proprijs referre rem notis,
 Vt fallier queas, amicus ni monet.

Idem

Idem accidit vitris, color
 Cùm tinxit, hæc simile nam habent in omnibus
 Quæ cernis & cognoueris.
 Nec secus iniquum qui gerunt animum, malè
 De alijs, sinistrè & iudicant.
 Quod sunt malorum conscij, primi & duces.
 Sic arguunt sese mali.
 Quem lupus rapiens remulcet caudulam.

P 2

EPI-



EPITAPHIVM GENEROSI
 adolescentis Georgij Bonæ Transyluani,
 & tanquam fratris, qui obiit M. D. LIX.
 ætatis suæ xx. v. Septemb.



Ὡς λελθ' ἀπάσῃ ἀρετῇ πάσας λιπώκοσμος ὁ Βῶνα,
 Θαῦμα χρῆστογενῶν τῶν φίλος, ἔσκε Θεῶν.
 Ἡ' ῥπασε τῶν πανδαμάτωρ μοῖρ' οὐκ ἀέκοντος
 Αὐτῆ ἐπ' αἶδιον, κ' ἔριπώθητον ὄϊαο.
 Οἱ φίλοι, ὄρφανικὸς σὺν παῶσιν ὀδύρεται ὄϊκος,
 Ἡ γητῆς κήπου θεῶν ἔσεν ὀδ' αἰθερίου.

Τὴν σοφίαν μεγάλην, παρὰ πείρας, καὶ τὰς μελεδῶνας
 Ἡμῖν λυσιπρόσωπον θυμὸς ἐν ἡσυχίᾳ.
 Εὐσεβέων ἦν παῖς ἀγαθός, τὰς κρείσσον' ὀπιθεῖ,
 Αἰνῶ σπυρίδρος νέκταρι, καὶ μιν βροσῖα.
 Νείοθι τ' ἑξέτης τὸν ἀδωροδόκητον ἀκροῖον
 Προσδέκεται κριτὴν, τὸ πλεόν' ὅσ' ἀνέφου.

De eodem.

*HOC spes in tumultu patriæ iuuenilibus annis
 Conditur, eternum sed valitura fides.
 Hac pictas, Muse, virtus, et candor amicus
 Mole subest, Christi dum mora cuncta tegit.
 O quantum eripuit misero mors improba Regno
 Et decus, et famam, quæque dolenda tulit.
 Sed tamen optata superest, semperque vigebit
 Illi propitius quam dedit arce Deus.
 Cumque tuba exciuit rediuiuos, ante tribunal
 Hostes qui certo iudice vincet, erit.
 Sic fit mens propior celo, quò longius imis
 Tempore secedit, perpetiturque nihil.
 Hæc posuit charo Præsul monumenta nepoti
 Strigonijs, fletu prosequiturque locum.*

Iacobus Maniquet.

*RAPTUS es ante diem in calum Bona, ne bona terris
 Vlla superstaret virtus, neue amplius vllam
 Pannonia infelix spem libertatis haberet.*

Fides non apparentium.

Ad Michaëlem Brutum.



NITITVR inuisis certò fiducia rebus,
 Alto flexiuagus piscis vt amne latet.
 Est tenebrosum iter, angustumque ad templa Deorum:
 Apparent minimum, sunt manifesta tamen.
 Sic nos qui in caelum Christus reuocauit ab orco
 Credere promissis, tutaque verba iubent.
 His te committas, nec aget te deuius error,
 Quae mora securos fallere, quisue potest?

ERRATA SIC CORRIGITO.

Pagina 32. Linea 7. linque 41.9. Fœdus his 51.2. en insidijs
 81.5. genitali his 91.8. Belli pertæsus nummosas 98.1. miretur
 107. 5. quum 118. 5. tetra nam 126. (*in princip.*) Τιμων (*adde*) ad
 Cardanum 134. 1. connifa 143. 18. Pentameter pro Iambico ad-
 iectus. 150. 14. moram 168. 2. se opposuitque 179. (*in princip.*)
 Degeneres (*adde*) Theca loquitur 180.4. sustulit vsque (*ibidem*)
 12. tales pallidus 183.2. blandula cauda



MAGNIFICO DOMINO


IOANNI GROLIERO THESAURA-
RIO REGIO LVETIÆ,
S.







Cio quanti me facias, quo animo semel comprehenderis: quem quotidie in tuis colloquijs, & omnis antiquitatis delectationibus bienniū ferè, licet alijs quoque studijs, ac negocijs occupatissimum esse me paternè volueris. Eius igitur voluntatis erga me prolixè, ac singularis nomine tibi omnia debeo: sed imprimis, si quæ ex meis scriptis aliquando tam graui, tamque illustri viro digna posset existere, memoriam. Quæ quoniam ita dudum celebris, ita in omnium auribus, ac simul animo posita est, nulla vt ex commendatione illi quicquam addi queat, in tuo ære me futurum semper hisce æreis aliquot nummis testari volui. Per hoc verò biennium scias me multis modis bibliothecam auxisse ornasseque meam, atque nummos, quos tantopere extollebas, maximè raris cumulasse, vt vel summis Cardinalibus admirabiles Romæ fuerint, & per Italiam Principibus: doque operam, ne meæ conditionis, satis angustæ, liberalis tamen, atque illius studiosæ vetustatis, quisquam me superet. Vale, dominoque Henrico Memmio, si graue non est, à me salutem.



Gandau, I I I. Non. Ianuarij. M. D. LXIII.




















Q V A T V O R A N N I T E M P O R A ,
I N N U M M O R E G I O M A X I M I
P R E C I I I N F O N T E N O B I L I .



EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLAN-
TINVS ANTVERPIAE, VIII. CAL.
SEPT. ANNO M. D. LXIV.

